BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
11 K
M 26

14. 15. H. 26

Camera
Scans: 7= Ord: 3= n.º 1656=

# LABORIS
## ENCOMIVM,
# ACEDIAE
## VITVPERIVM,

Omnibus cuiuſuis ſtatus hominibus propoſitum & neceſſarium, morali doctrina ſacriſque monitis refertum, raro hiſtoriæ delectu, variaque lectione iucundum.

AVCTORE
R.D. AC M. PETRO LOYCX TVRNHOVTANO, *prothonotario Apoſtolico & ad S. VVillebrordum Antuerpiæ Paſtore.*




BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ANTVERPIÆ,
Apud GVILIELMVM LESTEENIVM,
M. DC. XLVI.

# LECTORI.

NE mireris, optime Lector, de eo te moneri ad quod natus es, ad quod veniſti in hunc mundum. de labore mihi ſermo eſt. Cùm enim præteritis his diebus domi clauſus, ac lentâ tabe iam ferè confectus, annos æternos in mente haberem; aliquoties altùm ingemui, quòd non eo ſemper feruore ac zelo quo par fuit, in vinea Dominica laboraſſem: videnſq; me inutilem operarium; animo ſubiit, hoc breui ſcripto aliis ſaltem inculcare ſtrenuum continuumque laborem. In quo, vbi ſub diuerſo ſtatu laborantes moneo, cùm nemini detrahere aut lædere intendam; confido ſimplicem & candidè propoſitam veritatem odium minimè parituram. quòd ſi fieret, ſolaretur me ſcriptura quæ dicit: *Qui hominibus placent, confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos.* Pſ. 52: 6. Certè cùm ſine nomine contra vitia agitur, reum ſe demonſtraret qui iraſceretur. Ea ſcripſi quæ



omnibus

omnibus magis vtilia & ſalutaria putaui. Labor & corpus & animum vegetat. vt vmbra corpori, ſic vtilitas ſẽper aliqua labori comes. Si animum ſpectes; labor vitia excludit, virtutes inſerit: omnino felix, ſi de benè cœpto ſtrenua manus non remittat. Ad Deī promiſſa promerenda, continua virtutum exercitatio neceſſaria: nam vtvt firmum fuerit boni propoſitum; niſi quotidie innouetur, citò extinguitur. adeò miſeri ſumus omnes. Laborandum itaque & ad mortem vſque laborandum, quæ ſola mercedem feret: cùm conſummauerimus, tunc incipiemus; & quod nunc quærimus laborando, poſtea inueniemus feliciter æternumq́ue fruendo.

CVm homo naſcatur ad laborem, & ex ſententia Sapientis, qui ſectatur otium in egeſtate erit; Vituperium huius, Encomium illius à R. D. PETRO LOYCX Protonotario Apoſtolico & ad S. Willebrordum Paſtore prolata, cum magno fructu publicanda cenſeo.

P. COENS *S.T. Licent. Lib. Cenſ. Antuerp.*

# TRACTATVS I.

# LABORIS ENCOMIVM.

## CAPVT I.

### Laboris ſymbola, neceſſitas, diuiſio.

*SVMMARIVM.*

*I. Laboris etymon. Signatus in capite bouis: cælo, cum corde & ſubiecto foculo: formicâ & api: aſino: ſtatuâ Herculis.*

*II. Labor an neceſſarius ad ſalutem: præceptum eius ſub quo alio contineatur. labor homini naturalis. Pauli verba variè diſcuſſa.*

*III. Deum ipſum operari continuò in eius ſapientia & amore oſtenſum: angelorum opera: aliarum creaturarum labor, ſol & luna cur non primo die ſint creata.*

*IV. A minimis animalculis homo iners confuſus. à laborioſâ formicâ egregia virtutum documenta.*

*V. Laboris exemplum apiculæ: earum varia munia.*

*VI. A labore manuali quinam excuſati. cur potiùs homini, quàm aliis animantibus, iuſſum in ſudore vultus pane veſci.*

*VII. Labor prohibitus, conceſſus, debitus. labor bonus & malus è ſacris literis variè deductus.*

I. Labor quid. LAbor, dici poteſt functio quædam vel animi vel corporis grauioris operis & muneris: ſic dicta quod membra faciat labare, diſſipatis inter agendum ſpiritibus vitalibus. Hebræi Nominis vſus apud Hebræos.

bræi vocant *Iaghabha*; quod importat non ſolùm laborem, ſed etiam rem labore partam. Cognationem habet cum verbo *Gaggah*, id eſt mugiuit, quaſi tanto affectu & labore quis aſpiret ad rem aliquam attingendam, vt animus mugiat, & vix reſpirare poſſit.

Labor variis rebus ſignificatus. *In Hieroglyph.* Scriptores varia dant laboris ſymbola. Veteres, teſte Pierio cùm laborem adumbrare vellent, pinxerunt caput Bouis. Romani illud corollis, corymbis & ſertis redimere ſolebant, vt ſignificarent fructus & glorias è labore manantes.

Caput bonis coronatum.

Cælum, cùm corde cui foculus ſubiectus. *In Iſide.* Ægyptij laboris perpetui Hieroglyphicum pinxêre cælum, appicto corde, cui foculus ardens ſubiiciebatur, teſte Plutarcho. Ea re ſignificabant, viros magnos & cæleſtes iugibus grauibuſque curis ſemper agitari, atque inſtar cordis aut cæli ſemper moueri.

Formica. Formica etiam picta laboris indefeſſi perſeuerantia notata; quòd non ſolùm interdiu, ſed etiam noctu laborem exerceat.

Et apis. *Pier. l.26.* Apis laborioſa operatrix; manifeſtum eſt artificij ſedulitatiſque Hieroglyphicum.

Aſinus oneratus. Seruilis labor per aſellum clitella inſtratum ſignificatur, quòd animal ſit indefeſſi laboris, vt vndique perpetuæ onerum vectationi vexationibuſque aliis damnatum eſſe videatur.

Hercules cum exuuio leonis &c. *Pier. Val. l.12.* Quin & ſtatua Herculis clauam humero geſtantis, & exuuio leonis contecti, ac cepticipitem hydram pedibus prementis, ceu laboris improbi ſymbolum reperitur apud fabuloſos poëtas: & pictoribus ea repræſentatio admodum vſitata.

*Dom.8.poſt Pent.* II. Manualis labor an neceſſarius ad ſalutem. Pelbartus de Themeſwar, quæſtionem mouet; vtrum homo ex præcepto ſub neceſſitate ſalutis teneatur manuali opere victum quærere? Reſpondet, iudicium de quolibet ſumendum, ſecundùm finem ad quem ordinatur: laborem autem manualem ordinari & vtilem eſſe ad tria; ad otium tollendum, ad corpus domandum, & ad victum quærendum. Quoad duo prima, inquit, quamuis homo teneatur in genere ad aliquod exercitium laboris ſpiritualiter vel corporaliter, tamen non præcipitur hoc aut illud opus in particulari: nam & viri Eccleſiaſtici ab opere manuali vt ſic, excuſari poſſunt. Quoad victum quærendum, homines ſani & fortes non habentes vnde viuant, iuſtè præceptum accipiunt; *Operemini manibus veſtris ſicut præcepimus vobis.* Et in ſtatu valdè periculoſo viuunt, qui poſſunt vitæ neceſſaria laborando acquirere, & tamen volunt otiari & mendicare.

Ad aliquod exercitium quiſque tenetur.

Fortes, tamen otioſi ſunt in periculo ſalutis. *1.Theſſal. 4:11.*

Præceptum de labore ſub quo contineatur.

Sub iure poſitiuo. *Exodi* 20: 8.

Si petas, ſub quo præcepto contineatur præceptum de opere manuali? Dici poteſt, I. Sub præcepto iuris poſitiui, cùm dicitur: *Memento vt diem ſabbathi ſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua.*

Etiam naturali.

II. Sub præcepto iuris naturalis. Natura dedit homini manus ad laborandum, vt id faciat cum magna habilitate, ratione, viribus. Poſitus erat homo in paradiſo vt operaretur, tamen cum labore delectabili ad exercitium virtutis ſuæ; & cuſtodiret illum, non ab inuaſoribus, ſed vt bene obediendo illic manere poſſet.

Hominis labor in ſtatu innocentiæ qualis.

Poſt peccatum, in ſudore vultus veſcitur pane ſuo, & vt auis naſcitur ad volatũ, ita nos ad laborem. Vnde S. Bernardus ſcribens in illud; *Ecce nos reliquimus omnia*, ſic ait: *Homo ad laborem natus, ſi laborem refugit, non facit ad quod natus eſt, ad quod venit in mundum. Quid reſpondebit ei qui miſit eum, qui inſtituit vt laboraret?*

Labor homini naturalis.

Pauli verba variè diſcuſſa. 2. *Theſſal.* 3: 10.

Eodem tendunt Apoſtoli verba: *Si quis non vult operari, non manducet.* q. d. Cùm mandet Deus, in ſudore vultus pane veſci; qui non laborat pro pane, par eſt vt non manducet panem, ſed dignus eſt qui fame moriatur: quia otioſus inutile habet eſſe, ac ita meretur non eſſe. Otium eſt viui hominis ſepultura; ideo qui viuens ſponte vires ſuas per otium ſepelit, dignus eſt qui reipſa moriatur. Theophylactus ex hoc loco docet, eleemoſynam non impertiendam benè valenti & otianti. Clemens, cenſet nec ſubſidio dignum, imò neque dignum Eccleſiâ Dei otio deditum. Hugo Card. ait præcipi, non operantem non manducare; neque aliis de alieno pane & labore ſuccurrendum, quàm iis quibus ſuus labor non ſufficit. Petrus Lombardus vult, ex Pauli ſententia; talem abiiciendum ab omnibus.

Nota otij definitionem.

2. *Conſtit.* c. 4.

Otioſus pane indignus, imò Eccleſiâ Dei.

An quis otioſo indigenti ſuccurrere debeat.

Quod ad iuſtitiæ debitum & obligationem ſpectat, homini otioſo, & qui ſi laborare velit, poteſt euadere ex graui aut extrema indigentia, in quam non ſolũ culpâ ſuâ incidit ſed & ſuâ culpâ adhuc hæret & perſeuerat; nemo tenetur illum ſubleuare, aut ex voluntaria illa egeſtate & ſpontaneo vitæ diſcrimine eripere.

III. Otium Deo, angelis, creaturis contrarium.

Sed amplius videbit homo, laborem ſibi neceſſarium, ſi attentè conſideret, otium à Deo ipſo, angelis, aliiſque creaturis explodi. Deus nunquam eſt otioſus, ſed ſemper diligentiſſimè operans tanquam puriſſimus actus: nunquam otiatur eius ſapientia, ſed ſemper cõtemplatur ſeipſum, & quæ produxit, &

Dei ſapientia ſemper ageus.

quæ producturus eſt. Licet quis ſit perfectus philoſophus aut Theologus, tamen non ſemper contemplatur actualiter propoſitiones & difficultates philoſophicas aut theologicas, ſed diſtrahit ſeipſum dormiendo, manducando, conuerſando &c.

Aliter eſt in nobis.

Deus non, ſed ſemper contemplatur, & in ſua comtemplatione beatus eſt.

Similiter eius amor.

Non otiatur eius amor, ſed ſemper amat, non tantùm habitualiter (ſicut homo, cuius amor actualis ſe ad plura extendere non poteſt) ſed actualiter extenditur ad infinita amabilia: diligit Filium, & ex dilectione ſpirat Spiritum S. ſemper & in æternum diligit creaturas &c. Similiter de aliis Dei attributis loquendum. Vt Deus nec perfectè concipi poſſit niſi operans, & ab omni minimo otio vacuus.

Gentiles cur dixerint mundum ab æterno fuiſſe.

Gentiles philoſophi maluerunt credere, mundum ab æterno fuiſſe, quàm otium Deo affingere. Nec enim ſciebant operationes Dei ad intra; ſed ſolas ad extra, vt loquuntur Theologi: adeò vt ſi Deus otium ageret, non eſſet Deus. Hinc Dei Filius: *Pater meus vſque modò operatur, & ego operor.* Quin & ipſe (ſub Ioſepho) faber, aratra & iuga feciſſe dicitur, vt teſtatur S. Iuſtinus.

*Ioan. 5:17.*

*In Dialogo cum Tryphone.*

Angelorum opera.

Angeli non impediuntur à diligenti & accurata operatione, non ſunt ſubiecti ſomno, intellectus eorum à corpore non impeditur, ſemper contemplantur tum res diuinas, tum humanas quibus præſunt.

Labor in creaturis.

Aliæ creaturæ ſi nihil agunt, vel negligenter operantur, omnino nihil eſſe videntur, & quantò diligentiùs operantur tantò ſunt perfectiores; quia modus operandi ſequitur modum eſſendi, ideo ex operatione colligere licet perfectionem potentiæ, & ex perfectione potentiæ, perfectionem eſſentiæ.

Sol & luna cur non primo die creata.

*In 1. Reg. 1: 26.*

Quæri poſſit; cur Deus ſolem & lunam non primo die, ſed quarto creauerit? reſpondet Seuerianus (citatus à Mendoza) quia nondum erant terræ naſcentia quæ luminarium calore fouerentur. q. d. nondum erat in terris quod ab illis luminaribus ageretur: ac ſi præſtaret, luminaria non eſſe, quàm otioſa eſſe. Nec ſolùm ſtellæ innumerabiles curſum ſuum ſeruant exactiſſimè; ſed aliæ omnes creaturæ iam inde à primo conditoris mandato, ſtrenuè exequuntur ea ad quæ à Deo deſtinata ſunt, dicente Pſalm. *Ordinatione tua perſeuerat dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi.*

Creaturæ iniunctum ſibi opus ſtrenuè peragunt.

*Pſalm. 118: 91.*

IV.

Quàm meritò homo labori ſe tradat.

Quæ ſi homo rectè perpendat, non poteſt fieri quin valido

ictu

ictu concutiatur, ruboremque contrahat, quòd ipſe creatori ſuo fideliter laborando non adhæreat, cùm non alio fine creaturæ illi ſeruiant, quàm vt ille viciſſim Dei voluntatem promptè exæquatur. Et licet in tanto numero rerũ inferiorum confundi poſſit otioſus quocumque aſpiciat; placuit tamen Deo pigros & inertes operarios ad minima quædam animalcula ablegare, vt à Deo fruſtra moniti & edocti, ſaltem à beſtiis, quàm neceſſariò ſibi laborandum ſit cognoſcant. *Vade ad formicám, ô piger*, ait Salomon, quid illic eſt facturus? conſiderans vias eius, diſcet ſapientiam. Audiamus.

Minima animalcula nos confundũt.

*Prou. 6:6.*

Piger ad formicam ablegatus.

Formica I. Prouidet ſibi in æſtate, quo viuat in hyeme.

Prouidet in æſtate.

II. Frumenta defert in antra, velut cellas & apothecas, ibique aſſeruat: ita nobis labore iuuentutis paranda ſunt alimenta ſenectutis & ſudore temporis præmia æternitatis.

Grana aceruat.

III. Grana incidit & arrodit oculos ſeminis exedens ne germinent & putreſcant: opera noſtra circumcidenda à vanitate, ne in vanam gloriam erumpant & corrumpantur.

Incidit, rodit.

IV. Grana meliora ſeligit: nobis optimarum virtutum actus exercendi.

Meliora legit.

V. Præſentit ſerenitatem, & tum grana aëri exponit; præſentiens pluuiam in antro recondit: ſciamus nos grana virtutum nunc ad ædificationem oſtendere, nunc occultare.

Aëris temperiem præſentit.

VI. In commune laborant. quod ſibi proponens S. Malchus, ſtatim profugus cum vitæ periculo ad monaſterium redire geſtiit, vt ex Hieron. refert Cornelius. addit eius verba: *Aſpicio formicarum gregem anguſto calle feruere, ferre maiora onera, quàm corpora. Aliæ herbarum quædam ſemina forcipe oris trahebant; aliæ egerebant humum de foueis, & aquarum meatus aggeribus excludebant. Illæ venturæ hyemis memores, ne madefacta humus in herbam horrea verteret, illata ſemina præcidebant: hæ luctu funebri corpora defuncta deportabant: quodque magis mirum eſt, in tanto agmine ingrediens non obſtabat intranti; quin potiùs, ſi quam vidiſſent ſub faſce & onere concidiſſe, ſuppoſitis humeris adiuuabant. Quid multa? pulchrum mihi ſpectaculum dies illa præbuit: vnde recordatus Salomonis ad formicarum ſolertiam nos mittentis & pigras mentes tali exemplo ſuſcitantis, cæpit tædere captiuitatis, & monaſterij cellulas quærere, ac formicarum illarum ſimilitudinem deſiderare, vbi laboratur in medium; cumq́; nihil cuiuſquam proprium ſit, omnium omnia ſunt, &c.*

Labor illis communis.

*In Prou. 6: 8.*

Iucundum formicarum laborantium ſpectaculum.

VII. Formica quod viribus nequit,

Continuus labor.

nequit, id conſilio & continuatione perficit, hinc tandem excauat ſemitas, ſaxa, rupes. nos ardua aggrediamur, regiâ patrum viâ gradiamur, & ſciamus, nihil tam difficile quod continuo labore per Dei gratiam vinci nequeat.

Sine rege, aut duce viuunt.

VIII. Formicæ licet viuant in grege, non tamen habent regem aut ducem, & interim ſibi mutuo beneuolè obſœcundant & obtemperant, domum ſiue ciuitatem ſimul conſtruunt, quam habitaculis variis diſtinctam plantarum tegunt particulis. Nos ad gloriam vocati ſumus; & ad hoc doctorum magiſterio imbuti, ipſum conditorem ducem habemus: quid erit, ſi iam bonorum operum fructus non congregemus quibus in futuro viuamus? in hyeme iudicii tantum quis tollere poterit, quantum de horreo priſcę actionis recondidit.

Fœtida oderunt.

IX. Res fœtidas, vt origanum, ſulphur, cornu aduſtum adeò oderunt, vt ad fumi aut cineris ſenſum loco migrent: nos malam famam, & omnem peccati fœtorem caueamus.

Ad ventrē ſtrictæ.

X. Circa ventrem ſtrictæ & quaſi cinctæ ſunt: nobis venter ſtringendus temperantiâ & abſtinentiâ.

In virtute creſcunt.

XI. In maiori ſua ætate v ir-tute creſcunt; eamus & nos de virtute in virtutem.

Vt onera ſua facilitent.

XII. Arte, onera faciunt facilia, vel diuidunt & in plures partiuntur, vel plures eidem oneri ſuccollant, aut inflectunt, apteque componunt, illudque nunc pedibus, nunc ore gerunt aut protrudunt: nos ardua facilia faciemus conſilio & ſolertiâ, rei etiam peritos operi adhibendo.

A vino cauent.

XIII. Formicæ à vino cauent, quia ſi illud guſtent, ſubitò inebriantur: ſapiens caueat vinum, in quo eſt luxuria.

Mortis prænuntiæ.

XIV. Mortis prænuntiæ eſſe videntur, eam prænuntiarunt Cimoni, teſte Plutarcho in vita. & Nero paulò ante mortem ſomniauit, ſe pennatarum formicarum multitudine oppleri, vt habet Suetonius: nos quoque ſi ſapimus, mortem proſpiciamus. Denique hyeme quieſcunt, & fruuntur cibo æſtate collecto. Fideliter laborantibus tandem dicetur, vt quieſcant à laboribus ſuis. Similia quædam habet Hugo Card. in citatum Prou. locum.

Labore ſuo fruuntur.

V.

Apis exemplum laboris.

Apis quoque illuſtris eſt laboris ſtimulus & exemplum. Apibus omnibus communis eſt labor: nullus cùm per cęlum licuerit, otio perit dies. Communis eſt omnium cibus: neque enim ſeparatim veſcuntur, ne inæqua-

inæqualitas operis & cibi fiat,& tẽporis. Pax inter eas præcipua. Apes quæ aculeũ perdunt, mella de cætero facere non poſſunt. Diuerſa inter eos officia. Aliæ ſtruunt,aliæ poliunt,aliç ſuggerunt,aliç diſtribuunt ex eo quod allatum eſt. Videres omnes certare de munere: videres alias inuigilare quærẽdç annonæ. Videres de caſtris alias eſſe ſollicitas eaque cuſtodire. Quibus eſt adoleſcẽtia ad opus exeunt, ſeniores intus operantur. Tempora prænoſcunt: prædiuinant enim imbres ventoſque, & tunc ſe continent tectis: ſi dies futurus eſt mitis, prouolant vniuerſæ. Denique hyeme latent, & veſcuntur melle quod æſtate congregarunt. Qui horum plura deſiderat legat Thomæ Cantipratani apiarium,& Ioannis Nideri formicarium. Et hæc quidem ſufficere debent homini cui vel aliquis ſenſus ineſt, vt laborem ſibi neceſſarium ſciat: ſi enim omnia creata propter eum in continuo motu ſunt, qua fronte ipſe otioſus ſedens cælum ſperare poterit?

*Apicularum varia munia.*

VI.

*Labor vnicuique neceſſarius.*

*A labore manuali qui excuſentur.*

Vnicuique æternam illã quietem deſideranti omnino laborãdum eſt,ſiue corporali, ſiue ſpirituali exercitio ſe addicat. Ab opere quidem manuali eximitur 1. Labor Prælatorum,quibus incumbit ſubditorum cura. 2. Labor iudicialis executionis, in principibus,poteſtatibus, iudicibus. 3. Labor prædicationis vel doctrinæ. 4. Labor orationis & contemplationis, in Clericis. Attamen, vt ait S. Ambroſiũs: *Nulla ſine labore virtus, quia labor proceſſus virtutis eſt.* Et: *Neque otioſè dictum eſt homini quòd nulli aliorum animantium; in ſudore vultus tui manducabis panem tuum. His enim animalibus quæ naturâ irrationabilia ſunt, iuſſu Dei terra pabulum miniſtrare præcepta eſt: ſoli autem homini, vt rationabile quod accepit exerceat, vitæ curſus in labore præſcribitur. Qui enim non eſt contentus animalium pabulo cæterorum, cui non ſatis eſt lignum fructiferum, commune omnibus ad eſcam datum, ſed delitias ſibi variarum exquirit epularum, delitias ſibi tranſmarinis arceſſit è terris, delitias verrit è fluctibus, recuſare non debet qui labore victum requirit breuem, ſi laborem pro vita ſubeat æterna.* Hæc Ambroſ. Audiamus & authorem operis imperfecti. *Omne malum voluit Deus poſſe latere ſub colore boni, & omne bonum voluit eſſe ſub caligine obſcuritatis, vt tu nec bonum ſine labore inuenias, nec malum ſine labore euites; negligens autem nec bonum inueniat, nec malum euadat. Omnia Deus poſuit in labore, vt in omni re mercedem præparet* &c.

*De Cain & Abel l. 2. c. 2.*

*Præfatione in Euang. Lucæ.*

Cur homo in vultus ſudore panem comedat, non alia animantia.

*In Matt. hom. 29.*

Notabilis ſententia.

Triplex autem labor dici poteſt

VII. Labor prohibitus, *Ierem.9:5* Conceſſus, Debitus.

teſt. Vt primus ſit, labor prohibitus. *Vt iniquè agerent, laborauerunt.* Secundus, labor conceſſus vel licitus, qualis eſt in omni tali negotio quo licitè victus acquiritur. Tertius denique, labor debitus, ad quem tenetur omnis Chriſtianus, vt excludat otium animę inimicum. Hinc iam alius labor corporalis, alius ſpiritualis.

Labor bonus multiplex. *Pſal.72:5.* Labor Chriſti. *Thren.3:65.* *Pſalm.68:4.* *Iſai.1:14.*

Vel, alius labor bonus, alius malus. Vtrumque è ſacris literis ita obſeruat Hugo Card. tom.2. ad illa verba; *In labore hominum non ſunt.* Primò, labor bonus, eſt I. Chriſti, ſcilicet patiendo. *Dabis eis ſcutum cordis laborem tuum.* prædicando. *Laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ.* Suſtinendo peccatores. *Laboraui ſuſtinens.*

Labor agricolarum. *Gen. 9. 20.* *Ioann.6:27.* *Eccli.6:19.*

II. Labor agriculturæ, vel ad literam: *Cæpit Noë vir agricola exercere terram.* vel ſpiritualiter: *Operamini non cibum qui perit.* *Quaſi is qui arat & ſeminat, accede ad eum, & ſuſtine bonos fructus illius.*

Militum. *Matth.8:9* *2.Tim.2:3.*

III. Labor iuſtorum militum, vel ad literam: *Habens ſub me milites, & dico huic, vade, & vadit* &c. vel ſpiritualiter: *Labora ſicut bonus miles Chriſti Ieſu.*

Clericorũ. *Iob 9:13.* *Eccl. 12:12.*

IV. Labor Clericorum, ſcilicet Prælatorum: *Sub quo curuantur qui portant orbem.* Scholarium: *Frequens meditatio, carnis afflictio eſt. Vigilia honeſtatis tabefaciet carnes.* Eccleſiaſticorum: *Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam.* Religioſorum: *Operemini manibus veſtris ſicut præcepimus vobis.*

*Eccli.31.1.* *Apoc.2: 2.* *1.Theſſ.4: 11.*

Miniſtrantium. *1.Tim.2:15.* *Ioan.16:21.* *Exod.35:25.* *1.Tim.5:10.*

V. Labor miniſtrantium, ſcilicet Parientium: *Saluabitur per filiorum generationem. Mulier cùm parit triſtitiam habet.* Nentium: *Mulieres doctæ, quæ neuerant, dederunt.* Miniſtrantium infirmis: *Si ſanctorum pedes lauit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtrauit,* &c.

Malus labor varius. *Eccl.6:7.* Labor iumentorum. *Iſaia 30:6.* *Ibid.* *Matt.19:24.* *Deut.22:10.*

Secundò, malus labor eſt, I. Iumentorum: *Omnis labor hominis in ore eius,* id eſt, fit vt iumentum. *Onus iumentorum auſtri,* id eſt, guloſorum. Camelorum, id eſt, diuitum: *Portantes ſuper gibbos camelorum theſauros ſuos. Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire* &c. Aſinorum, id eſt, ſtultorum: *Non arabis in boue ſimul & aſino.* Boum: *Non ligabis os bouis terentis in area fruges tuas.*

Labor conopum. *Iſaie 7:18.* *Exodi 8:24.* *Prou.30:25.*

II. Labor Conopum, ſcilicet Apum. notantur hæretici habentes mel in ore, aculeum in cauda: *Sibilabit Dominus muſcæ, quæ eſt in extremo fluminum Ægypti, & api quæ eſt in terra Aſſur.* Muſcarum, id eſt, inuidorum, qui carnem ſanam tranſeunt, & vlceri inſident: *Venit muſca grauiſſima in domos Pharaonis.* Formicarum, id eſt auarorum; *Formicæ, populus*

*Prou.30:25.* *populus infirmus* &c. Scabronum, id eſt, ambitioſorum: *Emittens crabrones prius*. Locuſtarum, id eſt, adulatorum. *Flare fecit ventum ab occidente vehementiſſimum, & arreptam locuſtam proiecit*. Conopes verò dicuntur, quorum pedes tendunt in conum & acutum.

*Exo.23:28.*

*Exo.10:19.*

III. Labor belluarum, ſcil. leonum, id eſt prædonum: *Venatio leonis, onager in eremo: ſic & paſcua diuitum ſunt pauperes*. Piſcium, id eſt, curioſorum. Maris: *Impij quaſi mare feruens*. Denique dæmonum, qui & dicere poſſunt: *Laſſati ſumus in via perditionis*.

Labor belluarum.

*Eccli.13:23.*

*Iſaia 57:20.*

*Sap.5:7.*

# CAPVT II.

## Labor malorum fruſtraneus.

*SVMMARIVM.*

*I. Laborem nemo effugit. graue peccantium onus.*

*II. Labor ſuperborum: iracundorum.*

*III. Labor auarorum, guloſorum.*

*IV. Labor luxurioſorum Neronis, & Minothea factum.*

*V. Labor inuidorum, eorumq́; mores. Themiſtocles & Agis adducti. Labor acedioſorum.*

*VI. Oſtenditur, neminem id laboris ſubire pro Deo, quod mali pro mundo: qui ea quæ ſponte faciunt, pro peccatorum ſatisfactione iniuncta acceptare nollent.*

*VII. Qui Deo ſimul & mundo ſeruire volunt, in camelo: ij, quibus dæmon pro libito imponit, in aſino ſignati. locus Geneſis expenſus.*

*VIII. Impiorum miſeriæ. malum amatores ſuos omni genere tormenti premit.*

*IX. Sepoſitâ pœnâ, & præmio: adhuc fæliciores ſunt boni laborantes, quàm mali otioſi.*

SI primus parens Adam in innocentiæ ſtatu perſtitiſſet, eius poſteri ſine labore meruiſſent. Perfecta fuiſſet obe-

dientia carnis ſpiritui: & vt cælum mouetur ſine fatigatione & labore, quod ſuo motori non reſiſtat, ita tunc corpus ab anima ſine labore motum fuiſſet. Iam verò nec cogitare de re aliqua diu poſſumus ſine labore, nedum loqui, vel moueri. Verè dictum eſt: *Homo naſcitur ad laborem*. Peregrinus aliquis ſi biuium aut viarum concurſum alibi offendat, viam quam volet, eliget, nullam tamen ſine labore teret. Homo in hac mortali vita viuēdi multas vias inuenit, in vitiis ſcilicet, paupertate, honore, ſeruitute, delitiis, miſeriis: ſed nullam arripit in qua laborem, & quidem magnum, non inueniat. Si diues eſſe velit, magnus labor in congregando; ſeruando, diſpenſando. *Laborauit diues in congregatione ſubſtantiæ*, ait Sapiens, & vt in paupere laborē videas, ſtatim addit: *Laborauit pauper in diminutione victus*. Nihil præclari nobis propoſitum, quod non inſigni labore ac induſtria conſtare debeat.

I. Vbique & vndique labor.

*Iob* 5: 7.

*Eccli*, 31: 3.

*Verſ.* 4.

Sed mirum quàm diuerſimodè laborent boni & mali, pij & impij. Et malorum quidem vox eſt apud Salomonem: *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis*. Nihil mirum: quia grauiſſimum eſt onus peccati. Velint, nolint, qui iniqua agunt, egregiè laſſantur. Durus labor *ſuper peccatores ſeptuplum. Ad hæc mors, ſanguis, contentio & romphæa, oppreſſiones, fames, & contritio, & flagella: ſuper iniquos creata ſunt hæc omnia*. Aduertis, ſeptulum laborare impium, & ſeptuplo grauius efficere ſuum iugum?

Labor malorum.

*Sap.* 5: 7.

Grauis labor peccantium.

*Eccli.* 40: 9.

Quoad ſuperbos; *quid prodeſt ei quòd laborauit in ventum?* ſicut profuit bufoni, qui boui in magnitudine æquari volens, ſeipſum inflauit, donec crepuerit. Qui ſceptra & diademata quærunt, prius vires exhauriunt, facultates effundunt, vitam millæ periculis exponunt. Gigantes & magnates gemunt ſub aquis populorum quibus dominantur, vt ait Magnus Gregorius *a* & Seneca *b* dicit, multum illos habere negotij, quos ad profeſſionem ſpecioſam alligatos ſub ingenti titulo laborantes, in ſua ſimulatione pudor magis quā voluntas tenet. Aliis graues ſunt diuitiæ & honores; alij continua voluptate pallent. Cùm dicitur honos onus, non eſt tam alluſio vocis, quàm ipſius rei expreſſa veritas. Honor ex onere venit, ſed potiùs de honore onus.

II. Superborū labor.

*Eccli*, 5: 16.

*a In Iob* 26: 5.

*b De tranquill. c.* 2.

Honos onus.

Quoad iracundos: ſi quotidianæ occupationes iraſcendi, tumultuandi, timendi, omnem hominem pungunt; quantum cruciabunt vanorum hominum mentes grauiſſimæ iræ, contentiones, tumultus, fluctuationes, timo-

Labor iracundorum.

timores & labores nulla vera honeſtave cauſa ſuſcepti? Verè, phrenetici ſunt iracundi, de quibus Salomon: *Labor ſtultorum affliget eos.* Non ita tamen ſtulteſcunt, quin inſigniter ſentiant ſe laborare, quantos enim labores ſecum trahunt iuramenta, detractiones, aliaque vitia ex irâ vitio diabolico, longo tractu emanantia? *Sub lingua* eorum *labor & dolor.*

Iracundi ſtulti.

Eccli. 10:15.

Pſal. 10:7.

III. Auari, quantum laborant! Valdè ſe torquent vt immoderatè congregent, putantes, vti buſo, quòd terra eis deficiet. Laborando ignem congregant vt ſe comburant, dicente propheta: *Laborabunt populi in multo igne, & gentes in vacuum, & deficient.* Lege totum caput. Et vt nimia quandoque ſitis hominem compellit, vt aquam lutoſam auidè bibat; ita ſitis auaritiæ ad plurima mala hominem vrget. Tandē ſimiles inueniuntur pueris, qui poſt vilia quædam animalcula certatim currunt, & præter fatigationes nihil reportant. *Nihil auferet ſecum de labore ſuo*: imò; *Pereunt in afflictione peſſima.* Impij, labore quidem multa corradunt, & laborioſa voluptate diffluunt: Hinc ab iis qui ſolùm exteriora conſiderant, beati putantur. *Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt.* Sed adeò verum non eſt, vt propheta dicat: *In puncto ad inferna deſcendunt.* Alij dum laborant, afflictionem illam peſſimam incurrunt, quòd de labore ſuo non manducent. *Ignorat cui congregabit ea.* Mors adeſt, & dicitur ei: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem paraſti, cuius erunt?*

Labor auarorum.

Abac. 2:13.

Similitudines.

Eccli. 5:14.

Ibid. v. 13.

Pſ. 143:15.

Iob 21:13.

Pſal. 38:7.

Luca 12:20.

Guloſi, longè feruentiùs laborant, vt os repleant, & corpus impinguent; quàm vt animam ſaluent. *Omnis labor hominis in ore eius: ſed anima eius non implebitur.* Quòd ſi parandi victus neceſſarij cura moleſtiſſima ſit, omnibus etiam frugi & ſanctis; quantò moleſtior parandi ciborum exquiſitiſſ. & cupediarum varia genera, opes ſuperfluas, in inanes & vanos vſus, per fraudem & vim, cum ſiti & fame inexplebili?

Labor guloſorum.

Eccli. 6:7.

IV. Luxurioſi, quanto labore fœdam emunt voluptatem! Nam ſæuus criminum ſtimulus eſt libido, quæ nunquam quietum manere patitur affectum. Nocte feruet, die anhelat. Infelix labor, dum mentem effæminat, corpus eneruat, animam maculat, perſonam fœdat. Libidinem præcedunt, ardor & petulantia, comitatur fœtor & immunditiees, ſequitur dolor & pœnitentia.

Labor luxurioſorū.

Nero magnos labores ſubiit, vt tandē Iulij Montani vxori, matronæ optimę vim inferre poſ-

Neroni impudicitia carò ſtetit.

ſet. Tandem maritus facto in eum impetu, multas plagas inflixit, ita vt per multos dies nequiſſimus hominum in conſpectum populi non venerit. Mirum quod ea res Montano damnum non attulerit.

*Xiphilinus in Nerone.*

Amazonũ regina impudica.

Minothea Amazonum regina, magis libidine quã bello flagrans, cum multis millibus mulierum, 25. dierum inter infeſtiſſimas gentes laborioſo itinere confecto, Alexandrum Macedonem conueniſſe dicitur, & 13. diebus otio deditis, impleto vtero diſceſſiſſe. Bonum eſſet, ſi hac ætate millena exempla non docerent dominantem latè libidinem, & ingentem ſub ea laborantium multitudinem, qui etiam cum vitæ periculo, opum famæque iactura hunc laborem affectant. Cui dum inhærent, vinculis concupiſcentiæ magis conſtricti, deſperant tandem eripi & ſalutem conſequi.

*Vide Iuſtin. lib. 2.*

V. Labor inuidorum.

Inuidorum labor non inter poſtremos recenſendus. Ferrum abſumitur rubigine, & inuidi ſuo ipſorum vitio contabeſcunt. Ferrum enim etſi nemo lædat, ex ſe tamen gignit vnde corrumpatur. Themiſtocles tam grauiter tulit honores Miltiadi collatos, ob victos in Marathone barbaros; vt noctes inſomnes conſumeret, rogatus cur ita ſæpe excitaretur, dicebat, id ob Miltiadis trophæa fieri. Agis, audiens Spartæ plures eſſe qui ſibi inuiderent, reſpondit; illos geminam ſubire moleſtiam, quòd ſua ipſorum mala eos cruciarent, & inſuper tum eius, tum amicorum bonis torquerentur. Sanè virtus eſt ſolis inſtar, qui vt lutum indurat, emollit ceram; ita improbos affligit, probos recreat. Inuidis vultus minax, toruus aſpectus, pallor in facie, in labiis tremor, ſtridor in dentibus, verba rabida, effrenata conuitia, manus ad cædis violentiam prompta, etiamſi à gladio interim vacua, odio tamen furiatæ mentis armata, quid in his omnibus niſi labor & dolor?

Themiſtoclis inuidia.

Agis prudentia.

Inuidorũ mores.

Labor acedioſorum.

Acedioſi quoque, dum laborem fugiunt, non modicum laborem ſubeunt. imò plus aliis laborant pigri, v. g. dum podagram patiuntur, dum dormire non poſſunt &c. ipſa illorum requies quàm falſa, quàm irrequieta? intus cogitationibus turbantur, exteriùs pronis ad vitia ſenſibus impugnantur.

VI. Nemo tantum laboris ſubit pro Deo, quantum mali pro mundo.

Videte quæſo, & attendite operarios iniquitatis, miſeros laborantes. Vbi ſuſtinent milites Chriſti, tot ictus & pericula, pro vera gloria, vel alij qui ardua pro ſalute animæ aggrediuntur; ſicut mali ſuſtinent pro vana gloria in mundi militia, haſtiludiis,

ludiis,& pro animæ perditione? Vbi inueniuntur, qui tantum cogitant,laborant, ſolliciti ſunt circa æterna, ſicut auari circa temporalia? Vbi apparent qui tantùm laborant pro victu & veſtitu æterno, vt alij laborant pro victu & veſtitu corporali? Vbi,qui ita laborant & concupiſcunt cibum animæ æternum duraturum, animam ſine fine nutrientem & lætificantem, vti guloſi ſibi delectabilia quærunt? quorum tamen momentanea eſt delectatio, tantiſper ſcilicet perdurans dum per os & guttur tranſit, ſed frequenter citò poſtea, corpus & ſtomachum torquens. Vbi ſunt qui ita pectus nudarent, pedes ſtrictiſſimis calceis; corpus vinculis coarctarent, aut diligenter ornarent, pro Deo; ſicut faciunt ſuperbi vt ſuas & aliorum animas perdant? Vbi ſunt, qui tamdiu ſeſe pro diuino amore obſcuro loco clauderent, vt faciunt otioſi in lectulis ſuis pro fœtida carne nutrienda? Quis ſuſtineret tot pœnas, anxietates, & pericula pro Deo ac animæ ſalute, vt inuidi & iracundi, vt malam expleant voluntatem & ſeipſos vindicent? Vbi ſunt qui tot expenderunt, ſuſtinuerunt, cogitarunt de amore Dei, vti faciunt luxurioſi de amore carnali?

Et hi quidem omnes qui tam ardua ſponte aggrediuntur, quid dicerent ſi à nobis talia poſt delictorum confeſſionem illis pro pœnitentia ſiue ſatisfactione iniungerentur? non dubito quin ſe omnes ſimul excuſarent. Milites minimum ictum quem pro vanitate ſuſtinent, pro Deo aut peccatorum remiſſione non ſuſtinerent: timeo quòd potiùs Confeſſorem verberantem repercuterent. Nemo auarorum, aut agricolarum ſuſcipiat pœnitentiam: illi pro modico lucro etiam trans mare currunt; hi in pane & aqua cum exili pulmento duriſſimam vitam agunt. quis confeſſarium longè diſtantem quærat? quis exiguam peregrinationem iniunctam non grauiter æſtimet? quis vel paucos dies in abſtinentia aut labore peragat, & hoc pro lucro æterno? Guloſi dum plura milliaria currunt vt inebrientur; pauca milliaria emetere nollent ad verbum Dei audiendum. Superbi reſponderent nobis, non poſſe ſe ob frigus pectus nudare, nec tenerum corpus coarctare, nec ob ſollicitudinem tam diligenter ſe ornare, nec cum pigris tamdiu in lectulo laſciuire.

Impij ea quæ ſponte faciunt, acceptare nollent, ſi pro peccatorum ſatisfactione iniungerentur.

VII. Camelus tortuoſum animal, & oneribus aptum, immundum eſt in lege; quia etſi ruminet, vngu-

In camelo ſignantur illi, qui Deo

ſimul & mundo ſeruire volũt.

lam tamen non findit: & illud maximè peccatorum genus deſignat quod Deo ſimul & mundo vult ſeruire; & ita Deo ſeruire curant, vt eius cauſa hominibus nullo modo diſpliceat. Hi nō recti, ſed tortuoſi ſũt, partim mundi, partim immundi: vt cameli, qui cum animalibus mundis ruminant, ſed cum immundis non findunt vngulam. Onera portant, non Dei ſolius, vt iuſti; nec mundi ſolius, vt peccatores; ſed vtriuſque, & ideo ſine vtilitate portant. Qui camelos videt tam altos, miratur, ab hominibus imponi eis onera poſſe: at illi ſeipſos inclinant, & onera ſine magno imponentium labore ſuſcipiunt. ita & viri magni ſe demittunt & facillimè vel grauiſſima onera acceptant, tollentes ſuper ſe iugum mundi & pondus grauiſſimum, quod tam facilè excutere poſſent, ſi Deo ſeruire, & animalia munda eſſe vellent.

Mali onus peccati facilè ſuſcipiunt.

De Iſſachar ita loquitur patriarcha Iacob: *Iſſachar aſinus fortis, accubans inter terminos.* In aſino dicere poſſumus notari alios peccatores, quibus dæmon onera pro libito imponit. accubant inter terminos, quia nec prorſus Chriſtiani videntur, qui toti ſunt in rebus ſeculi; nec prorſus à Chriſtianitate abhorrent, quia Deum confitentur, ſacris interſunt &c. accubant, quia præſentia complectuntur, futura non quærunt. Aſinus fortis dicitur, ſiue etiam oſſeus, vt notauit S. Hieronym. quia dici non poteſt, quàm fortes ſint peccatores ad onera ſeculi, & ad grauiſſimos labores mentis & corporis perferendos, vt non carnei videantur eſſe, ſed oſſei; qui tamen ad ieiunia, ſatisfaciendum pro peccatis, & ad iugum Chriſti ſuave teneri ſunt & imbecilles, vt ante dicebamus.

*Gen.* 49:14.

In aſino notantur illi, quibus dæmon pro libito imponit.

*In tradit. Hebr.*

Mali fortes ad malum ſunt.

VIII. Impiorum miſeria.

Impij, ſine cauſa & variè fortitudinem ſuam conſumunt. Seruiunt diis alienis die ac nocte qui non dabunt eis requiem. Menſes vacuos habent, noctes laborioſas enumerant ſibi. Molam cum Sampſone circumagunt, ludibrio habiti. Plus decem vicibus mutatur eis merces, illaque fraudantur. Seminant & plantant, nec inde colligunt, vel certè non ſatiantur, & mercedem mittunt in ſacculum pertuſum. Per totam noctem laborantes nihil capiunt. Diſſipantur, nec compunguntur. Sunt vt vecors illa columba. Quæ cum pullis ſuis frequenter orbetur, & pariendi, incubandi, nutriendi iterum iterumque laboris præmio fruſtretur; tamen in eodem columbario manet, & redit non ſibi ſed ſuis hoſtibus laboratura, & filiorum orbitatem

*Iere.* 16:13.
*Iob* 7: 3.
*Iud.* 16:21.
*Gen.* 31:7.
*Aggæi* 1: 6.
*Luca* 5:5.
*Pſal.* 34: 16.
*Oſee* 7: 11.

tem perceptura.

Mala torquent amatores ſuos omni genere tormẽti. Hugo de S. Charo ad illud; *Ecce vniuerſa vanitas, & afflictio ſpiritus.* oſtendit, non eſſe genus tormenti, quo mala non torqueant amatores ſuos. Primò enim paupertate afficiunt, ſpirituales diuitias auferendo, deindè fame validiſſima & ſiti peſſima torquent, vt & terram eos comedere cogant, vt patet in auaris; & cænum ſordidiſſimum bibere compellant, vt patet in luxurioſis. Deinde memoriam beneficiorum Dei & ſuorum malorum cognitionem auferunt, & prouidentiam futurorum abſcindunt, ideo propheta: *Naſum tuum & aures tuas præcident,& quæ remanſerint, gladio concident.* Deinde ſuſpendit eos inanis gloria ſic mutilatos quaſi ad ſpectaculum, dum videri cupiunt ab hominibus, qui tantum vident ea quæ parent. Poſtea iactantia excoriat, ira exurit,inuidia putrefacit. *Putredo oſſium inuidia.* Triſtitia cor rodit. *Sicut tinea veſtimento & vermis ligno:ita triſtitia viri nocet cordi.* Auaritia verò ieiuniis,vigiliis, afflictionibus,& laboribus innumeris torquet & diſtrahit: gaſtrimargia crepat:luxuria in luto conculcat.

*Eccl.* 1: 14. — *Ezec.*23:25. — *Prou.*14:30. — *Prou.*25:20.

IX. Sepoſitâ pœnâ, aut præmio; adhuc feliciores ſunt laborantes, quàm otioſi. Quòd ſi fieri poſſet, vt malis operariis nullus eſſe debeat timor pœnæ æternæ, nec bonis ſpes mercedis æternæ; tamen quoad hanc miſeram vitam, qui non occupantur vtili aliquo labore corporali aut ſpirituali, longè infeliciorem & miſerabiliorem vitam ducunt, quàm illi qui laborant. I. Quia illi vilioribus & crudelioribus Dominis ſeruiunt.

Quia hi crudeliori Domino ſeruiunt.

II. Quia plus laborant. in itinere plus fatigatur qui diſtortam aut circularem ſequitur lineam, quàm qui rectam; atqui impij in circuitu ambulant, excuntes poſt cupiditates & vanitates ſuas, & ad diuerſa peccata incuruati.ita mirum non eſt, ſi contritio & infelicitas ſit in viis eorum,labor & afflictio ſpiritus.

Magis laborant.

III. Quia non occupati ad plura peccata & infortunia à dæmone, mundo,carne pertrahuntur.

Ad plura mala trahitur.

IV. Quoad corpus, otioſi ſæpius minùs ſani ſunt, quia in continuis delitiis & comeſſationibus ſine delectatione & indigeſti comedunt.

In corpore minùs ſanus.

V. Quia vt plurimum de alieno viuunt, vbi laborioſi & ſimplices viuunt de ſuo: ita ſunt infeliciores quoad exteriorem ſubſtantiam, quia finis illorum eſt pœna,& labor æternus.

Viuit de alieno,laborans de ſuo.

CAPVT

# CAPVT III.

## Labor bonorum fructuoſus.

### SVMMARIVM.

I. *Labor omnibus impoſitus, vt cùm equidem ſit laborandum, fructuosè laboremus.*

II. *Quis labor fructuoſus, fructuoſi operarij. Labor iucundus, animæ cibus eſt.*

III. *Vires continui exercitij, eſt ſuaue cibi condimentum, & per quod caro noſtra domanda.*

IV. *In laborante dæmon locum non inuenit. cor noſtrum cui ſimile; quò fugiat, vbi amittatur,*

V. *E labore, vitæ ſuſtentatio: culpæ remiſsio & ſatisfactio.*

VI. *Labore proximo ſubuenitur: id opus quanti meriti ſit. proximo benefaciens Deo ſimilis.*

VII. *Laborantes, vigilantes, à Deo vocantur: angelis placent.*

VIII. *Labor mercedem parit, eamq́ præcedit, piger excluſus. pro his periturus labor præcedit, cur non pro æternis?*

IX. *Laborans præmium ſibi proponat. quorundam athletarum vires. laboris fructus, gloria.*

I. Occupatio hominibus à Deo impoſita. Eccli. 1. 31.

SAlomon curiosè inueſtigans cuncta quæ fiunt ſub ſole, & hominum laborem contemplatus, ſic loquitur: *Occupationem peſſimam dedit Deus filiis hominum, vt occuparentur in eâ.* LXX. ſic habent: Diſtentionem malam dedit Deus filiis hominum, vt diſtendantur in ea. alij vertunt; negotiationem miſeram. Homines laborioſè ſe occupant, & in quærendis diuitiis, inani gloria acquirenda, & in iis quæ Veneri & gulæ ſeruiunt, ſummoperè laborant. Quod ſi tot labores & anguſtias ſubeant, vt quæ vana ſunt

ſunt poſſideant; in quod flagitium non ruerent, ſi hæc ipſa otioſis vltrò prouenirent? Ita in ſuum quiſque piſtrinum detruſus, hic laborat.

Idque ob peccata, vt humiliemur.

Hæc occupatio nobis à Deo in pœnam peccati immiſſa eſt, vt coram eo humiliemur, & ab eo ſolo veram conſolationem quæramus. deindè ex dura ac moleſta occupatione, ita quiſque ſecum ratiocinari debet: Si quoquo me vertam, & circa bonum & circa malum laborare debeam; eligendus mihi eſt labor & occupatio circa bonum, quem ſequitur ineffabilis voluptas. Cùm ex duobus malis minus eligendum ſit, eligo ergo occupationem & laborem circa virtutem; quia is minor quàm labor impenſus vitio: tum ob honeſtatem virtutis, tum ob gaudium & præmium quod virtutem conſequitur. Vita iſta dolore grauida eſt & cuique equuleus, vt quid ergo illâ me occupem? vita futura omni gaudio plena, vt quid ergo eam non ambiam? quid omne ſtudium non impendam?

Et vt fructuoſum laborem eligamus.

Hom:68. in Matth.

Audi S. Chryſoſt. *Breuis præſens eſt vita, paruus eſt hic labor, qui etiamſi magnus eſſet, neque tamen ſic renuere deberemus. Nam ſi laudabilem pœnitentiæ ac virtutis laborem non ſuſcipies, nullo tamen pacto labores & afflictionem huius ſeculi effugies. Quòd ſi vtrobique ſiue virtuosè viuas, ſiue non, labor ineſt; quamobrem non illum laborem eligamus, cui vberes fructus & merces copioſa debetur?* Addit, non eſſe eundé, nec æqualé rerum ſecularium laboré, crebra ſunt in ſeculo pericula, alia ſuper alia detrimenta ſemper accedunt, ſpes tenuis, magna tam pecuniarum quàm corporis ſeruitus, ſollicitudo animi continua. Modica horum retributio: in florida ætate ſudore ac miſeria opprimeris, diſſoluto per ſenium corpore, deliciandi poteſtas vix conceditur, cùm & ſenſus ipſe ſit extinctus, qui etſi vigeret, tamen propinquæ mortis memoria licentiùs vti non poteſt. In virtute, labor quidem terminatur cadente corpore, ſed corona & merces immortalis redditur; ita laboranti afflictio breuiſſima, retributio infinita.

Verè id iuſtum eſt, cùm equidem ſit laborandum.

Labor pro mundo quàm miſer.

II. Quis labor fructuoſus.

Fructuoſus igitur labor erit, in quo homo ſibi proponit veram virtutem, Dei gloriam, æternamque mercedem, ſiue labor corporalis fuerit, ſiue ſpiritualis. de vtroque nobis ſermo erit. Benè laborant, qui conſcientias ſuas diligenter excutiunt, de commiſſis dolent, & cum regio pſalte dicere poſſunt: *Laboraui in gemitu meo.* Benè laborant, qui ſe quotidie magis ac magis emundare curant, & ieiu-

Fructuoſi operarij recenſiti.

Pſalm. 6:7.

niis,eleëmoſynis aliiſque operibus ſatisfactoriis id agunt vt venientem iudicem ſecurè videant, dicentes: *Vide humilitatem meam & laborem meum.* Benè laborant,qui vtiliter ſtudent, vtilia congregant,aut ſcribunt, more artificum qui aliis ędificant. *Non ſoli mihi laboraui, ſed omnibus exquirentibus veritatem.* Benè laborant, qui alios docent & prædicant, & more ſpeculatorum clamant: *Laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ.* Cuidam egregio operario dictum eſt: *In omnibus labora, opus fac euangeliſtæ.* Benè denique laborant, qui operi manuali licito diligenter incumbunt, & timore Domini ſibi propoſito, à pſalmiſta beati vocantur, & quibus benè futurum ſit, qui inſuper labores manuum ſuarum manducabunt. Et hi omnes operibus ſuis addunt tres illas conditiones benè laborantibus neceſſarias, bonam ſcilicet intentionem, diligentem executionem, & finalem perſeuerantiam.

*Pſal.* 24:18. *Eccli.* 24:47. *Pſal.* 68:4. 2. *Tim* 4:5. *Pſal.* 127:2.

Quid laborem reddat iucundum.

Hæc ſunt quæ laborem bonis iucundum reddunt. Siue enim de ſpirituali labore loquamur: vti optimum cibi condimentum fames eſt; ita optimum virtutis veræque voluptatis obſonium, labor. Si verò de corporali: magis oblectant diuitię labore partæ, quàm ſi aut hereditate, aut dono alicuius vltro velut dormienti obueniant: tum,quia magis propria ſunt, tum, quia carò ſteterunt. vnde dicitur; *Labores manuum tuarum quia manducabis* &c. Beniamin Iacobo chariſſimus fuit,quia Benoni, id eſt, filius doloris fuerat, moriente in eius partu matre. Ita benè dixit ethnicus quidam, quod labor & voluptas natura diſſimillima, quadam ſocietate iuncta ſint. Ipſe labor laboranti cibus eſt. teſtis mihi eſt Philo ita loquens: *Equidem exiſtimo, laboris cibiq; eandem eſſe vim. nam ſicut à cibo tota vita pendet vnà cum ſuis actionibus & affectionibus, ita etiam à labore pendet quidquid in rebus bonum eſt. Ergo, quemadmodum qui vitam ſibi prorogare cupiunt, alimenta non negligunt; ita quoque qui quæ bona ſunt concupiſcunt, laborem magnifaciunt: ſicut enim cibus ſe habet ad vitam, ſic labor ad honeſtatem.* Sic ille.

*Pſal.* 127:2. *Gen* 35:18. *Liuius dec.* 1. *lib.* 4. *Lib. de Abel & Cain.* Labor cibus eſt.

III. Laboris vtilitates.

Sed plures ſunt laboris vtilitates, & penitiùs conſiderandæ. I. Ipſum corporis exercitium quantum prodeſt? Per illud firmitas membris accedit,naturalis calor accenditur, & ex attritu partium duritia quædam comparatur, articuli firmantur, & ſanguis per totum corpus defertur. *Ruſticus duros habet neruos, fortes lacertos, exercitatio hoc facit. ſine eum torpere, molleſcit. Voluntas facit*

Continui exercitij vires. *Ad fratres de monte Dei, apud S. Bern.*

*cit vſum, vſus exercitium, exercitium vires in omni labore ſubminiſtrat*, ait author de vita ſolit. Mellifluus ille Pater, in prima epiſtola cum miraculo ſcripta Robertum nepotem ita excitat: *Surge, præcingere, tolle otium, exere vires, moue brachia, comploſas explica manus, exercitare in aliquo: & ſtatim ſenties ſola te appetere quæ famem tollant, non fauces demulceant. Reddet quippe ſapores rebus exercitium, quos tulit inertia. Multa quæ reſpuis otioſus, poſt laborem ſumes cum deſiderio. Siquidem otium parit faſtidium, exercitium famem. Fames autem miro modo dulcia reddit, quæ faſtidium facit inſipida. Olus, faba, pultes, paniſq́; cibarius cum aqua, quieſcenti quidem faſtidio ſunt, ſed exercitato magnæ videntur delitiæ.* Hæc ibi. Deinde, ſeruus quidam ſuperbus eſt caro noſtra, qui non domatur niſi verberibus, & graui opere. quid remedij? *Mitte illum in operationem, ne vacet. multam enim malitiam docuit otioſitas. In opera conſtitue eum: ſic enim condecet illum. Quod ſi non obaudierit, curua illum compedibus,* &c. Labore & ieiunio laſciuia corporis caſtigatur, oratione anima ſaginatur, vigiliâ hoſtium inſidiæ pelluntur.

Exercitium ſuaue ciborum condimentum.

Caro, vile mancipium exercitio domandũ.

*Eccli*, 33: 28.

IV.

Labor tentationes pellit.

II. Labor, dæmonum tentationes propulſat. Auiculæ ſuper alis molarum non ædificant, imò nec in illis reſidere volunt, niſi forſan à motu ſolito quieſcant: ita dæmon nec locum nec quietem in illis reperit, qui ſemper in motu & actione ſunt, ſeſeque bono aliquo exercitio occupant. At cùm hoſtis aliquem inuenit otioſum, ſtatim hominem pro ſeſe laborare cogit, vti filius prodigus porcos paſcere cogebatur. *Vitula elegans atque formoſa Ægyptus; ſtimulator ab aquilone veniet tibi.* Vt enim vacca ſtimulo percuſſa huc illucque diſcurrit: ita laſciuientes videmus, vt ſuas delectationes impleant, inordinatè currere & laborare. Cor hominis more viui argenti in continuo motu eſt, vt retineri vix valeat quin ad illicita euagetur: atque ideo circa honeſta officia occupandum. Fugit alioqui cor & amittitur in terra per auaritiam, in aquis per luxuriam, auolat per elationem, latitat vt mordeat per inuidiam, vti ſæpius fit inter eiuſdem artis operarios ſibi inuidentes. vnde vir quidam, licet ſanctus eſſet, tamen monetur: *Tu verò vigila, in omnibus labora* &c.

In laborante dæmon locum non inuenit.

*Iere.* 46: 20.

Cor viuo argento ſimile.

Quo fugiat, vbi amittatur.

2. *Tim*, 4: 5.

III. Laboris vtilitas eſt vitæ cùm propriæ tum alienæ ſuſtentatio. Cælum continuo motu ſuo omnia inferiora conſeruat; ita continuus motus exercitij, diligentiæ, & laboris ſeruat hominem in proprio ſtatu. Auibus natura dedit alas duas ad vo-

V.

Labor, vitæ ſuſtentatio.

landum, & caudam ad dirigendum: ita ſoli homini, non beſtiis dedit manus ad laborandum, & intellectum ad dirigendum. Homo, natus dicitur ad laborem, non creatus: quia creatio noſtra culpam non habet, ideo nec pœnam; natiuitas culpam, ideo & pœnam habet.

Labore culpa remittitur, & ſatisfacit homo.

IV. E labore culpæ remiſſio & ſatisfactio. Vt granum ſeparatur à palea per flagellum, ita per laborem dimittitur peccatum. Vnde cùm dixiſſet Pſaltes: *Vide humilitatem meam & laborem meum*, adiunxit; *& dimitte vniuerſa delicta mea.* Adamo labor iniunctus ad ſatisfactionem.

*Pſal.* 24:19.

Pœnitenti, labor æternus in temporalem mutatur.

Miſero captiuo magna à rege gratia fieret, ſi pro vnius diei labore ac ſeruitio perpetuam ſeruitutem remitteret, & iure merito ſe ſeruus iſte ſtrenuè gereret, impigrè laboraret. Peccator ſeruituti perpetuę addicitur cùm peccat. *Omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* Hinc nobis perpetuò laborandum eſſet, niſi mediaret conſolatorium illud pœnitentiæ ſacramentum, per quam æterna pœna in temporalem miſericorditer transſmutatur.

*Ioan.* 8:35.

VI. Per laborem proximo ſubuenitur.

V. Labore, etiam proximo per eleëmoſynam ſubuenitur. Laborantibus inter manus lucrum creſcit, vt non ipſis ſolùm, ſed & aliis proſit, Deo ſcilicet pro quo laborant, benedictionem largiente. Ioſeph filius accreſcens fuit, & incredibiliter bonorũ additione exaggeratus, quia cũ Deo & pro Deo laborabat: ſicut qui ſuo opere, nõ opere Dei; ſuo labore, ſollicitudine & induſtriâ, nõ illius prouidẽtiâ & beneficentiâ vult increſcere & amplificari, oleum & operam perdit, ac in vanum laborat. Paulus non ſolùm pro ſe, ſed etiam pro aliis laborabat. *Hæ*, ait, *qui mecum ſunt miniſtrauerunt manus iſtæ.* Quem ſecuti ſunt poſtea plerique monachi, qui ſe non ſolùm, ſed millia pauperum labore ſuo alebant. S. Ephrem refert quod ſubdo: *Frater quidam dixit: Precabar Deum vt gratiam largiretur operi manuum mearum, totumq; ex eo cænobium ſiue monaſterium nutriebatur. Nónne gaudium mihi in hoc erat?* Sed audiamus S. Hieronymum. *Simpliciter loquar*, inquit, *quamuis omnem cenſum tuum in pauperes diſtribuas; nihil apud Chriſtum erit pretioſius, niſi quod manibus tuis ipſa confeceris, vel in vſus proprios, vel in exemplum virginum cæterarum, vel quod auiæ matrique offeras*, &c. Thomas Kemp. ita loquitur: *Illa eleemoſyna gratiùs Deo placet & clariùs lucet, quæ de vultus ſudore procedit, & iuſto labore quæſita reficit indigentes.*

Pro Deo & cum Deo laborandũ.

*Act.* 20:34.

*Tom.* 2. *doctrina varia c.* 13. *mihi fol.* 348.

*In ep. ad Demetriadem, citata à Ioanne David in Veridico Chriſt. c.* 72.

*In vita Florentij c.* 14.

Quàm meritorium pro proximo laborare.

Domini ſententia eſt: *Beatius* *Act.* 20:35.

*eſt*

Proximo benefaciēs, Deo ſimilis eſt. *eſt magis dare, quàm accipere.* Dare, eſt regale quid, & diuinum. Proximo ſubueniendo, Deo aſſimulamur: qui omnia dat, nihil accipit; ſed vt mare redundans ſua effundit in creaturas. Hinc Deus Hebraicè vocatur Saddai, id eſt, cornu-copiæ. Clemens Alex. *Lib. 2. ſtrom. c. 9.* *Dei*, inquit, *imago eſt homo benefaciens.* Nazianz. *Orat. 16. de cura paup.* *Nihil adeò diuinum habet homo, quàm benefacere.* S. Leo teſtatur, *Serm. 10 de quadrag.* illic Deum imaginem ſuæ pietatis agnoſcere, vbi curam miſericordiæ inuenit. Deus Pater dat Filio ſuam naturam, Pater & Filius eandem dant Spiritui S. Filius ſe nobis totum tribuit. Imitantur creaturæ. Dei liberalitatem imitantur creaturæ. Cæli dant lumen & influxum, ignis calorem, aër auram quâ reſpiramus, terra fructus, mare piſces, animalia lanam & carnes. adeò naturæ conſonum eſt, vnum alteri ſubuenire.

VII. Labor conſcientiam ſerenat. VI. E labore, conſcientiæ ſecuritas. Operarius ſecurè manducat, quod fideliter eſt lucratus. Quinetiam cùm in omni opere Deum vti finem ſibi proponat, iam ſe eius gratia non indignum, eiuſque amicitiâ frui non abſurdè ſperat. Vigilantes & laborantes ad Chriſtum vocantur. Nato Domino, paſtores ad magnum illud gaudium (videre ſcilicet Chriſtum natum pannis inuolutum, & poſitum in præſepio) euocantur, quia laboribus aſſueti, tum in regione eadem vigilabant; vbi tot diuites altùm dormientes & otioſi relicti ſunt. Eorum felicitatem, illa dulciſſima nocte cantum angelicum audientium ita expendit S. Bernardus: *Serm. 3. in natali Domini.* *Agnoſcant homines quia qui in labore hominum non ſunt, viſitari ab angelis non merentur. Agnoſcant quàm placeat ſupernis ciuibus labor cuius ſpiritualis intentio eſt, quandoquidem & eos qui pro victu corporis, corporali vrgente neceſſitate laborant, ſuo dignatur alloquio & alloquio tam felici. Nimirũ humanam in eis agnoſcunt ordinationem, quâ conſtituit Deus, vt in ſudore vultus ſui veſcatur Adam pane ſuo.* Laborantes angelis placent. Sic ille. Animalia in paſcuis ſunt duplicia: Apta ſimilitudo. quædam otiantur & continuò comedunt, vt citiùs impinguata occidantur: alia ſunt ad laboris leuamen, vitæque ſuſtentationem: ita quæ ſolùm vagantur, occiduntur: quæ laborant, poſtea certo tempore & menſura aluntur. Quidam huius mundi bonis paſcuntur, vt æternùm luant, quia non laborant; alii ad magnum bonum ſuum in labore viuunt. Nauis ſine pondere non poteſt ſecurè mare tranſire, quia fluctibus iactetur, ſuaque leuitate vagando periclitetur: ita ſine laborum pondere non poteſt homo ſecurè ad quietis portum peruenire.

VIII. Labor mercedem parit æternam. VII. Laborem ſequitur æterna retributio. *Amodò iam dicit ſpiritus,* *Apoc. 14:13.*

*ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis.* Salomon cùm fortem illam & laborioſam mulierem laudaſſet, ita totum concludit: *Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera eius.* Præcedit labor, ſequitur merces. Ieruſalem priùs dicta eſt Iebus, quàm Salem; id eſt, conculcata, quàm ciuitas pacis. Priùs dictus eſt Iacob, quàm Iſrael; quia lucta præſentis tribulationis præcedit Dei viſionem. Priùs ſeminauit Iſaac in terra illa, quàm centuplum acceperit. Priùs Beniamin dictus eſt Benoni, ſiue filius doloris, quàm filius dextræ. Priùs Dauid multum laborauit, antequam in pace regnare potuit. *Vt enim fieri nequit*, ait S. I. Chryſoſtom. *vt is qui in agone contendit, per ſomnum & torporem ac delitias, coronas etiam conſequatur, neque miles trophæa, neque portum gubernator, nec aream repletam agricola: ſic nec vt fidelis, qui vitam ſuam in pigritia ac remiſſione traduxerit, bona promiſſa conſequatur.* Et poſteà: *Num igitur abſurdum eſt in omnibus quidem rebus ſeculi huius ante voluptatem labores eſſe propoſitos, & ante ſecuritatem pericula, idq; cùm vilium & exiguarum rerum poſt labores illos expectatio relinquatur: cùm verò cælum ſit propoſitum, angelorum honores, vita quæ nullo fine terminatur, cum angelis conuerſatio, & bona quæ nec intelligere, nec effari quiſquam poteſt, ſperare nos, fore vt per deſidiam & inertiam animiq; remiſſionem ea conſequamur, nec eandem illis dignari diligentiam, quam ſecularibus impendere? Ne obſecro, ne adeò malè de nobis deq; noſtra ipſorum ſalute ſtatuamus.*

Prou. 31:31.

Labor mercedem præcedere debet.

Tom. 6. ho. de martyribus Ægypti.

Piger cælum non obtinebit.

Vt peritura conſequamur, labor præcedit; cur non vt æterna?

IX. Sed ſtrenuè ſemper laborare, & laboris præmium vti finem nobis proponere, ita monet S. Baſilius. *Quam habet rationem quòd cùm gubernator haud temerè ſe ventis committat, ſed nauem rectà moderetur ad portum, & ſagittarij ad metam ac ſcopum iaculentur. Item fabri diligentia ſiue architecti ex arte ſua rem ad finem aliquem perducant: nos talibus artificibus ſapientiâ inferiores ſumus, ad planè conſideranda quæ ad noſtri profectum animi faciant. Erit itaque operariorum conſideratio finis operis, & humanæ vitæ conſideratio finis non fuerit? Quem procul dubiò finem reſpicere, & cum gratia cuncta facere ac dicere illum, qui brutis æquiparari non cupit, oportet. Quo ſanè neglecto, noſtra mens veluti ſine arte nauigium, nullis inſidentibus gubernaculis, temerè huc illuc exagitatur.* Subdit de grauiſſimis athletarum laboribus, de Polydama, qui in Olympia ob robur ac vires coronatus fuit; cùm currentes agitatoſque currus manu retineret: de Milone, qui à ſcuto perunctó nulla vi, nulloque impulſu

Laborans laboris præmium ſibi proponat.

Hom. de legendis libris gentil.

Quorundam athletarum vires.

pulſu mouebatur, ſed vt ſtatua quædam plumbo firmata reſiſtebat: & de aliis qui mille ſupra mille patientes labores, multum gymnica exercitatione ſudabant, plures plagas ex pedotriba accipiebant, diætam iniucundam & alia multa ſuſtinebant. dein ita loquitur: *Nobis autem quibus vitæ præmia adeò ſiue magnitudinem illorum, ſiue multitudinem aſpicias, miranda proponuntur vt explicari ſermone nequeant; hæc dormitando, & ſinè cura viuendo, altera manu tantum capere ſperamus.* Hactenus Baſilius.

Laboris fructus gloria.

Nunc tempus eſt laboris, ſequetur tempus quietis: quod nunc in labore ſeminamus, pòſt cum gaudio metemus. Etenim; *bonorum laborum glorioſus eſt fructus.* Vbi τὸ, *bonorum*, poteſt ſumi ſubſtantiuè, id eſt, piorum; vel adiectiuè, laborum bonorum. Si de præmio iuſtorum, laborum dicit eſſe glorioſos fructus, quia digni ſunt vt remunerentur: habent enim meritum coram Deo, quod retribuit diuinus remunerator præmio æterno. Si ſecundo modo ſumatur, vocat iuſti labores bonos, quia meritum habent dignum æterna remuneratione; fructus verè glorioſus, quia gloria æterna. Si aliud præmium non haberent labores, quàm Dei beneuolentiam & fauorem, glorioſum debet appellari, & magna æſtimatione dignum: ſed maius quid conſequitur, ſcilicet retributio æterna, quam bonus ille Deus repoſitam habet pro laboribus, licet ſuo præſidio & fauore factis.

Sap. 3: 15.

C A-

# CAPVT IV.

## Labor Eccleſiaſticorum.

### SVMMARIVM.

*I. Quæ requirantur in iis, qui paſtorali ſollicitudine aliis præſunt. Auguſtini labor: Ambroſij acre reſponſum.*
*II. Animarum curandarum ratio cum corporum medicina egregiè collata: quænam difficilior. verus paſtor omnibus omnia. baculus paſtoralis quid ſignet.*
*III. Apoſtoli, laborantium duces. Labores SS. Petri & Pauli. ars à Paulo exercita, qualis. ſtudioſi ad opificium coacti. opus manuale inter viros Apoſtolicos.*
*IV. Paſtores & celebriores aliquot operarij recenſiti.*
*V. Belgium noſtrum quales operarios habuerit.*
*VI. Religioſi paſtorum laborem ſubleuant.*
*VII. Labor paſtorum arduus. Iſaiæ locus excuſſus. mundi conuerſio cur à Chriſto meſſis dicta.*
*VIII. Etiam alia exercitia ſpiritualia ſubeunda. eorum vtilitas.*

INter operarios præcedere debent ordine, qui præeminent dignitate, imò labore angelicis etiam humeris formidando. Paſtoris vita multo labori eſt expoſita: quod probè nouerat, qui omnia eius incommoda tam exactè numerabat: ita & illi magnis laboribus deſtinantur, quos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. Illorum munus exigit, non quieti ſe tradere, ſed operi vacare; non voluptatem ſectari, ſed laborem; non gaudia quærere, ſed dolores; non ſocordiæ ſe dedere, ſed impigram vndique curam adhibere.

*Gen. 31:38. & ſeq.*

1. Munus eorum qui aliis præſunt in Eccleſia Dei.

Quod

Quod intellexit S. Auguſtinus, qui cùm ex Apoſtolo oſtendiſſet monachos ad laborem manuum omnino teneri, ita demum de ſe loquitur. *Non alligamus onera grauia & veſtris humeris imponimus quæ nos digito attingere nolumus. Quærite & agnoſcite labores occupationum noſtrarum, & in aliquibus, noſtrorum etiam corporum infirmitates, & eccleſiarum quibus ſeruimus talem iam conſuetudinem, vt nos ad illa opera ad quæ vos hortamur, vacare non ſinant. Omitto innumerabiles Eccleſiaſticas curas, quas fortaſſe nemo credit niſi qui expertus eſt. Si officij noſtri ſalva ratione poſſemus, videt ille qui probat corda noſtra, mallemus hæc agere, quæ vt agatis hortamur, quàm ea quæ nos agere cogimur.*

*Lib. de oper. mon. c. 29.* S. Auguſtini labor & ſedulitas.

Paſtores, viſitent etiam ſubditos pauperes.

Agnouit & ille, qui in Granatenſi regno Archiepiſcopus vir erat indefeſſi laboris, & in egenos mirè munificus, quorum domos interdum viſitabat. Nam rogatus à Ferdinando de Talanera, cur in tantum ſe deijceret, vt etiam ad populares caſas ſe conferret; reſpondit: Tu crede, ſiſores Epiſcopus, ampliùs admirareris quæ non facio & deberem facere, quàm ea quæ nunc præſto.

In paſtore, requiritur magnitudo & conſtantia in rebus gerendis quàm maxima, vt poſſit virtute irrumpere iniquitates, nec extimeſcat faciem potentis. Quidam Valentiniano Imp. à cubiculis cùm inſultaret S. Ambroſio, & diceret; Tu me viuo contemnis Valentinianum? caput tibi auferam & vitam. At verus paſtor; Vtinam, ait, impleas quod minaris; ego lubens patiar quod Epiſcopi, tu facies quod ſpadones. Dein clariſſima mentis acie præditus ſit oportet, & innumeros habeat omni ex parte oculos, quibus acutiſſimè cuncta proſpiciat, & continuò vigilantem, qui non tantùm ſui curam habere debet, ſed etiam aliorum. Malos redarguere, bonos fouere, pupillis, orphanis, alijſque afflictis patrocinari debet, ouiculas omnes ſollicitè obſeruare & inuiſere. Paulus exigit non modò vt ſit iuſtus & ſanctus, ſed etiam irreprehenſibilis. Chriſtus ſeipſum exemplar proponens, tantam exigit charitatem, vt paratus ſit animam ponere pro ouibus ſuis.

Animoſum S. Ambroſij reſponſum.

*1. Tim. 3: 2. Apud Ioannem c. 10: 11.*

S. Greg. Nazianz. cum corporum medicina confert animarum curandarum curationem, & oſtendit hanc eſſe laborioſiorem, & tum materiæ naturâ, tum artis facultate, tum actus fine præſtantiorem. Illius labor circa corpora verſatur, omnino tandem interitura; at huius ſtudium circa animam impenditur, quæ

*Apol. 1.* II. Modus curandi animas, cum medicina corporum egregiè collatus.

eſt ex Deo, ſupernæque nobilitatis particeps. Illius medicus regiones, tempora, ætates & anni partes aliaque obſeruat, ægroto medicamenta propinat, victus rationem præſcribit, noxia obſeruat, ne præſidijs artis ægroti cupiditates obſiſtant. Ignem interdum, & ferrum, ac aſperiora medicamēta nonnullis adhibet. Quæ etſi laborioſa & moleſta videantur; nihil tamen eorum ita arduum ac difficile eſt, vt mores, affectus, vitæ inſtituta aliaſque res internas perſpicere, & belluinis vitijs expulſis, omne quod Deo gratum eſt, in eorum locum ſubrogare, confirmare. Et illa quidē à medico ſeruata, conſtanter in natura ſua manent, nec quidquā contra moliuntur: at nobis ingenij ſolertia, cæcus noſtri amor, aliaque innumera virtutis impedimēta, velut inſtructa acie, ſe nobis opponunt.

Longè difficilior cura animarum quàm corporum.

Quis facilè dicat, quantum hæc omnia laborem vero paſtori adferant? qui ſicut non eadem medicina, nec eadem alimenta corporibus ingeruntur, ita animabus diuerſa ratione diſciplinaque medetur. Alios enim mouet verbo, alios ſuo componit exemplo: alijs calcaria adhibet, alijs frenum: alios laudat, alios reprehendit, vtroſque tempeſtiuè: alios palam arguit, alios remotis arbitris increpat, aliorum (ſic quandoque res exigit) nec leuia errata diſſimulat, in alijs ad quædam conniuere ſatiùs iudicat: alijs irati hominis, & de eorum ſalute deſperantis ſpeciem præfert, cùm reuera nec iraſcatur, nec pro perditis habeat; alios bonitate & humilitate curat, iunctaque animi alacritate ad meliorem ſpem reuocat. Hæc omnia laborioſiſſima eſſe debent, etiam ijs qui magna ingenij ſagacitate pollent. Breuiter paſtorum onus perſtringit Innocentius 3. *Bonus paſtor debet pungere lentas, ſuſtentare morbidas, colligere vagas. Quæ tria benè ſignificantur in baculo paſtorali, qui eſt in vltimo acutus, in medio rectus, in ſummo retortus: acutus, vt pungat oues lentas & pingues; rectus, vt ſuſtentet oues morbidas & infirmas; retortus, vt recolligat oues vagas & errabundas.* Sic ille.

Verus paſtor omnibus omnia factus.

*In Dom. 2. poſt paſcha.*

Baculus paſtoralis quid deſignet.

Non ita cælum nitet ſuis ſideribus, vt Eccleſia Chriſti ſponſa ſemper enituit ſtrenuis operarijs: quorum adeò ingens eſt numerus, vt nemo facilè vel ſola nomina ingenti volumine comprehendat. Et vt de innumeris pauca tangamus; Apoſtoli, omnium laborantium duces, quantum laborarunt! Vtinam (quod ego millies optaui) de eorum heroicis actibus exactior quædam notitia Chriſtianis obtigiſ-

III. Apoſtoli laborantium duces.

tigiſſet! non dubitò, quin ingenti ſtupore omnes afficeremur. Sedhoc ideo forſã divina prouidentia ſic diſpoſuit, ne homines non fuiſſe quiſquam opinaretur, vno eorum dicente: *Parco autem, ne quis me exiſtimet ſupra id quod videt in me aut aliquid audit ex me.*

2. Cor. 12. 6.

Videte ſolos diuini iſtius Collegij principes, Petrum ac Paulum. Quot carceres ſanctificarunt? quot catenas decorarunt? quot tormenta ſuſtinuerunt? quot maledicta tolerarunt? elinguis fieret, qui eorum contemplans afflictiones, enumerare vellet. Vt meritò dixerit Chryſoſt. *Quaſnam vobis, ô beati Apoſtoli, referemus gratias, qui tantum pro nobis laboraſtis? Memini tui Petre, & obſtupeſco; recordor tui Paule, & excedens mente, opprimor lacrymis.* S. Leo dicit quòd gratia Dei illos in tantum apicem inter omnia Eccleſiæ membra provexerit, vt in corpore cui caput eſt Chriſtus, quaſi geminum conſtitueret lumen oculorum: eorum merita & virtutes omnem loquendi ſuperare facultatem, quos electio pares, labor ſimiles, & finis fecit æquales.

Labores principum Apoſtolorũ.

Serm. 1. in Natali illorum:

Eorum dignitas & celſitudo.

Cùm alij omnes imbuendum Euangelio mundum diſtributis ſibi terrarum partibus ſuſcepiſſent, Petrus ad arcem Romani deſtinatur imperii, vt lux veritatis efficacius ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus effunderet. Sed, hoc opus hic labor eſt. Conculcandæ erant philoſophiæ opiniones, diſſoluendæ terrenæ ſapientiæ vanitates, confutandi dæmonum cultus, omnium ſacrilegiorum impietas deſtruenda: at Petrus hanc ſiluam frementium beſtiarum, & turbulentiſſimæ profunditatis oceanum eſt ingreſſus, conſtantior quàm cùm ſupra mare graderetur. Iam ante eos qui ex circumciſione erudierat, Antiochenam Eccleſiam fundauerat, Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam atque Bithyniam legibus Euangelicæ prædicationis impleuerat; tunc trophæum crucis Chriſti Romanis arcibus intulit, & hoc continuo ſanguineoque labore effecit, vt Roma (quæ omnibus ſubiectis gentibus, omnium gentium ſeruiebat erroribus, magnam putans religionem nullam reſpuere falſitatem) iam eſſet gens ſancta, populus electus, ciuitas ſacerdotalis & regia, & caput orbis effecta latiùs preſideret, religione diuina quã dominatione terrena.

Labores Apoſtoli Petri.

Paulus verò quãtos labores pro Euangelio & conuerſione gentium exantlauit! quanta pericula intrepidus adijt! quanta ludibria, ærumnas, plagas & verbera gaudens ſuſtinuit! Labori ſpirituali etiam manuum labo-

Pauli labores.

rem iunxit. Quod etſi in epiſtolis pluribus ipſe teſtetur, hic vnus ſufficiat locus: *Neque gratis panem manducauimus ab aliquo, ſed in labore, & in fatigatione, nocte & die operantes, ne quem veſtrûm grauaremus.* Vide locum. erat artis ſcenofactoriæ, vt clarè patet *a* id eſt, conſuebat tabernacula ex pellibus, quibus milites vterentur in caſtris. Cornelius, rectè notat eũ hoc feciſſe ex veteri inſtituto Rabbinorũ, qui præſcribebãt ijs qui ſacras literas diſcebãt, vt opificium aliquod manuale addiſcerent: tum vt ex eo victum ſibi pararent, tum corporis exercendi causâ. Quin etiam apud Clementem Apoſtolorum verba ſunt: *Cum omni ſanctitate operi veſtro vacate, vt omni tempore & vobis & egentibus ſuppeditare poſſitis, ne Eccleſiam Dei oneretis. Etenim nos quoque vacantes verbo Euangelij, ſucciſiuas horas non negligimus: alij enim ex nobis piſcatores ſunt, alij ſcenarum artifices, alij agricolæ, ne vnquam otioſi ſimus:* Sic ibi. Poſtea tamen, clarificata per orbem Eccleſia, & multiplicato fidelium numero, paſtorum labor adeò creuit, vt curandis quibus intenti mechanico operi renuntiare debuerint; imò è religioſis cœtibus adiutores ſibi euocare, qui ſuum laborem iungerent in opus miniſterij, in ædificationem corporis Christi.

*2. Theſſal. 3:8.*

*a Act. 18:3.*

Quam artẽ exercuerit.

*In locum ſupra dictum.*

Rabbini volebant, ſtudioſos opificium diſcere.

*l. 1. Conſtitut. c. 67.*

Opus manuale inter viros Apoſtolicos.

IV. Præcipui Eccleſiæ paſtores recenſiti.

Sed agedum, ex innumeris paucorum labores vel breuiter perſtringamus. Præter Apoſtolorum diſcipulos Ignatium, Polycarpum Dionyſium Areopagitam, alioſque plurimos; Meletius Sebaſtenſis Præſul cum tribus erectis digitis & duobus reductis ſe Arianum non eſſe quandoque ſignificaſſet, exulare coactus eſt. A Iuliano reuocatus, à Valente iterum in Armeniam relegatus, à Gratiano reuocatus, poſtea in ſynodo Conſtantinop. à Theodoſio agnitus eſt, quod diu ante per ſomnium vidiſſet ſibi à Meletio paludamentum imperatorium inijci, & coronam capiti imponi. Epiphanius Ticinenſis, cui primum nato cunæ ſuperno lumine fulgere viſæ ſunt, anno ætatis 28. inunctus creatur Epiſcopus. Miraculis in expellendis dæmonibus & vitæ ſanctitate claruit. Ticino à Gothis capto, ea authoritate barbaros tenuit, vt non ſolùm iuſſis obedirent, ſed etiam inde abeuntes ei non ſine lacrymis valedicerent. Multas legationes feliciter confecit, & poſt 30. annorum ſudores obijt. Martinus Turonenſibus inuitus præfectus, miraculis & dono prophetiæ clarus fuit. In Illyrico ab Arianis cæſus, vrbe eiectus, eandem ob cauſam ab Auxentio Mediolani iniurijs affectus, in-

Meletius

Epiphanius Ticinenſis.

Martinus Turonenſis.

indicibili labore annis 36. animabus lucrandis intentus, ad mercedẽ euolavit, verè gemma ſacerdotum. Remigius ad Remenſem Epiſcopatum adhuc iuuenis eſt coactus, vir doctrinâ, eloquentiâ & miraculis illuſtris. Regem Clodouæum primus convertit, & de eius exercitu aliquot millia baptizavit: vltra annos 70. ſtrenuè laborauit. Fulgentius Ruſpenſis Arianorum hoſtis, inter alia incommoda, ab ijs ſæpius relegatus, & iterum reuocatus, poſt 25. annos labores feliciter abſoluit. Leodegarius Pictauienſis, poſtea Auguſtodunenſis, cùm impigrè laborans, etiam aulicos grauiter increpat, in vincula coniectus eſt. abſciſſâ linguâ, vocem retinuit, & capite plexus laboris præmium accepit.

Remigius.

Fulgentius Ruſpenſis.

Leodegarius Pictau.

Willebrordus Friſiæ aliorumque finitimorum Belgarum Apoſtolus, cum 12. diſcipulis viris ſanctiſſimis & animarum zelo æſtuantibus incrediliter laborauit, laboriſque mercedem adiit, poſtquam vltra 40. annos prædicationi & animarum ſaluti incubuiſſet, tam viuus quã defunctus miraculis clarus. Bonifacius Moguntinus, eiuſdem ſpiritus antiſtes, dum paſtorale munus ſummo labore obit, à Friſiæ idololatris trucidatur, cum multis aliis quos in partem ſollicitudinis ſuæ adſciuerat. Seruatius Tungrenſis, cuius ſanctitatem Deus per plurima ſigna teſtâtus eſt, cùm linguâ vernaculâ Dei verbum prædicaret, aut confeſſiones exciperet, ab omnibus intellectus eſt, vſque ad extremam ſenectam laborare non deſiit. Lambertus Traiectenſis reluctans epiſcopatum adiit, ſine cauſa ſede deturbatus, & exul, poſt annos 7. reſtitutus, cùm Pipinum fœdo Alpaidis amore detentum liberiùs redarguit, à fratre meretricis interfectus eſt. Hubertus ducis Aquitaniæ filius, eius diſcipulus & ſucceſſor, à crucifixo inter ceruę cornua apparente vocatus, poſt 30. annos labores feliciter abſoluit Furæ in Brabantia, anno 735.

Willebrordus.

Bonifacius Moguntinus.

Seruatius.

Lambertus.

Hubertus.

Adelbertus Pragenſis pertinaces Boemos diu fruſtra docuit, tum Vngaros adiit, & copioſum ſuæ prædicationis fructum fecit. dein à Polonis honorificè ſuſceptus, eandem nauauit operam fauore ducis Miecislai. Dei monitu ad Boruſſos abiit, ibíque trucidatus eſt, anno 995. Dunſtanus primo Londinenſis, dein Cantuarienſis Archiep. ob regem Edgarum de inceſtu reprehenſum 4. annis exulauit: ab Eduino ſucceſſore reuocatus, labores protraxit ad annum æt. 79. Staniſlaus Cra-

Adelbertus Pragenſis.

Dunſtanus Cantuar.

Staniſlaus.

couienſis, poſt longos labores ab impio Boleſlao in templo obtruncatus eſt.

V. Strenui operarij in Belgio.

Quod ſi Belgium noſtrum luſtrari lubeat, fuerunt in eo quoque inſignes operarij ex quo Paulus 4. (rogatu Philippi 2. regis Catholici) nouos in eo Epiſcopatus inſtituit. Inter Archipræſules Mechlinienſes enituit Matthias Houius, qui exhibuit ſemetipſum exemplum fideliũ in verbo, conuerſatione, charitate, fide, ſedulus gregis ſpeculator diæceſim ſuam ipſe luſtrauit, in omni Eccleſiæ magiſtratu deligendo ab omni affectu alienus, verus pater pauperum: & in aliis omnibus adeò ſtrenuus operator, vt Belgium eius ſolicitudini ſe debere fateatur, religionis auitæ præſidium, templorum cultum, morum emendationem, cleri reformationem, populi ſalutem. obiit anno 1620. poſt annos 24. in regimine tranſactos.

Matthias Houius. Mechlini.

Epiſcopi Antuerpienſes.

Habuit Antuerpia Franciſcum Sonnium ſtrenuum ouilis Dominici aduerſus rabiem nouorum Geuſiorum ſpeculatorem: Leuinum Torrentium literis ac legationibus domi foriſque clarum, Ioannem Miræum, qui licet vix ſeptennio, tamen ſtrenuus illius vineæ cultor fuit: Ioannem Malderum, virum humillimum, gregi ſuo chariſſimum, & Theologorum ſui temporis principem, vt doctiſſimæ eius lucubrationes teſtantur, poſt 22. annorum laborem omnibus ſui deſiderium reliquit.

Cornelius Ianſſenius.

Cornelius Ianſſenius Gandauenſis Flandriam ſui nominis ſplendore illuſtrauit, magna prudentia & fidelitate laborauit, ac doctiſſima in concordiam euangelicam, pſalmos Dauidicos commentaria, aliaque ſcripta non interitura poſt ſe reliquit.

Paſtores Ruremundenſes.

Ruremunda Gelriæ quantos viros aluit! Guilielmum Damaſi Lindanum, magnum animarum zelatorem, & qui nihil prætermiſit quod ad earum ſalutem pertinere videbatur. mirum quod in arduo laborum decurſu, tot tantaque ingenij monumenta relinquere potuerit: Henricum Cuyckium S. T. D. prius ſexennio renitentem, dein cum maximo animarum fructu & ſubditorum plauſu, ſedulò & incunctanter laborantem: Iacobum à Caſtro S.T.D. virum verè magnum, qui diutius omnibus iſtius Eccleſiæ clauum tenens, inter varios labores ita ſudauit, vt tanti Præſulis memoria retinenda ſit, quamdiu Chriſtum Belgica nuntiabit.

Yprenſes præſules.

Yprenſis ciuitas gloriatur Martino

Martino Rythouio S. T.D. qui quod ſui muneris erat verbo & exemplo executus, patriæ tempeſtatem magno animo ſuſtinuit. Petro Simonis, viro doctrinæ prudentiæque ſingularis, concionatore aſſiduo, & poſt magnos labores ſacrarum lucubrationum egregia monumenta relinquente; aliiſque viris præclaris. Neque modò nobis deſunt viri doctiſſimi, paſtores vigilantiſſimi, qui continuò laborant, verbo & exemplo iis quibus præſunt proficere.

VI. Laborem paſtorum ſubleuant religioſi.

Horum aliorumque laborem ſubleuant varij variorum ordinum religioſi, qui à mechanico opere ſuperiorũ permiſſu exempti, totos ſe labori ſpirituali tradunt, & ſcribendo, concionando, confeſſiones audiendo, aliiſque modis animarum ſalutem procurando, veris animarum paſtoribus egregiè adiumento ſunt.

Hebr. 10:25. *Non deſerentes collectionem noſtram, ſed conſolantes*, ait Paulus. ad

Lib. 5. mor. cap. 5. quod S. Gregor. *Laborantem conſolari, eſt pariter in labore perſiſtere: quia ſubleuatio eſt laboris viſitatio collaborantis: ſicut cum in itinere comes iungitur, via quidem non abſtrahitur, ſed tamen de ſocietate comitis leuatur labor itineris.* Et Gregorio Spiſindeo præſidi Sardiniæ

Epiſt. 17. lib. 9. indict. 4. ſcribit: *Particeps procul dubio mercedis exiſtit, qui bonorum ſe operum exhibet adiutorem.* Monetque eum vt Epiſcopum Victorem iuuet in conuertendis barbaris, vt apud homines laudem, apud Deum mercedem acquirere poſſit. S. Franciſcus Xauerius dicere ſolebat, ſe magno affici pudore, quòd negotiatores citiùs in Iaponiam penetraſſet ob merces viles & perituras, quàm ipſe cum ſociis ad diuendendas merces ſpirituales opeſque cæleſtes.

S. Franciſci Xauerij ardor.

VII. Labor paſtorum arduus.

Et ſanè, virorum apoſtolicorum labores tam ardui fuerunt, vt incredibile & ſupra hominé videri poſſint, niſi vnctio docuiſſet, & ſpiritu principali confirmati fuiſſent. In eum etiam oculos coniiciebat, qui ſuis ſe adfuturum promiſerat vſque ad conſummationem ſeculi: & futura mercede ſibi propoſitâ, ſtrenuè & intrepidè manum operi admouebant. De angelo quodam refert propheta: *In manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.* Pro *calculus* Hebraicè eſt, *ritſpa*, ait Cornelius, id eſt, carbo vel pruna ignita. Hieronymus vertit, lapillum ſiue gemmam. Et Alcazar contendit hunc Iſaiæ calculum fuiſſe carbũculũ. Vidit, inquit, Iſaias thronum, quẽ Deus habet in Eccleſia Chriſtiana; quare Seraphim ſunt Apoſtoli & viri Apoſtolici, qui Euangelium erant prædicaturi, quod quia erat ſummæ difficultatis, & quaſi ignem compleсti;

Iſaia 6: 6.

Calculus apud Iſaiã qualis fuerit.

In Apoc. 2: 17. notat. 5.

plecti; hinc timidè forcipe acceperunt carbonem ex altari, id eſt, timidè acceſſerunt ad labores & perſecutiones Euangelij: Sed vbi cum acceperunt & inſpexerunt, viderunt eum non eſſe carbonem, ſed carbunculum, quia labores hi & cruces pro Chriſto per charitatem, quâ accenſi erant, & per vnionem Spiritus S. eis dulciſſimi & pretioſiſſimi euaſerunt. Cornelius hunc ſenſum non improbans, addit vtrumque verum eſſe, & calculum hunc fuiſſe prunam accenſam, & fuiſſe calculum ſiue carbunculum: nam in cæleſti templo vt altari, vbi hæc vidit Iſaias, omnia pretioſa ſunt, æterna, & cæleſtia: ergo carbones eius non ſunt lignei, ſed lapidei, vt ſemper durent, imò gemmei, quia tales decent Deum.

*Luca* 10:2. S. Chryſ. in illud: *Meſſis quidem multa, operarij autem pauci.* Subtiliter expendit, quo pacto Chriſtus Apoſtolos animans ad mundi conuerſionem, eam meſſem appellare potuerit, cùm meſſis paratum dicat fructum, hic autem nec initium quidem eſſet, & res difficillima futura. Erant enim pauci, illiterati, pauperes, ignoti, nudi, vnam tunicam poſſidentes; & tamen orbis vniuerſus peragrandus, ab antiqua conſuetudine reuocandus, noua doctrina ſubinferenda. Dicere poterant: Tot ſpinæ euellendæ, ſemina ſerenda, mens & intellectus eorum excolendus; quando reddetur ſementum? nos diſcerpent, præcipites dabunt, nec os aperire, nec eloqui licebit. ne his aliiſque turbentur, Euangelium meſſis dicitur: *Quaſi dicat*, ait Chryſ. *omnia iam matura ſunt, omnia præparata, ad expeditam vos mitto fructuum collectionem, vno eodemq; die & ſerere poteritis & metere. Quare ſicut agricola ad meſſem egrediens gaudet & lætatur exultans, nullam laborum difficultatumq; rationem habens, ſed ſoli intentus lucro, ad annui laboris fructum lætus accurrit, nec quicquam ipſum prohibet aut impedimento eſt, non futuri temporis incertitudo, non pluuiæ, non grandines, non calores, non denique infeſtus locuſtarum exercitus (iam enim ad meſſem expeditus nil tale ſuſpectum habet) quo minus gaudens & exultans ad meſſis ſe labores accingat. Sic & vos, ratione multo potiori, maxima cum promptitudine ac voluptate, vniuerſum terrarum orbem peragrare neceſſe eſt. Meſſis enim eſt præſens negotium, quæ labores faciliores efficiat, & præparata vobis atque albicantia præbeat frumenta. commodate mihi linguam, & videbitis fructum maturum, qui ad cæleſtia horrea inducatur.* Sic ibi. Ipſe ſcilicet qui mittebat, omnia difficilia facilia reddebat, dans cum tentatione

Cur mundi conuerſio meſſis appellata.

prouen-

prouentum vt poſſent ſuſtinere, imò gaudere in iis quæ propter nomen eius inferebantur.

VIII. Etiam alia exercitia ſpiritualia ſubeunda.

Nec ſolùm fructuosè laborant, qui pro proximo ſolliciti ſunt; ſed etiam qui aliis ſpiritualibus exercitiis ſe addicunt. Homo, quia ad ſimilitudinem Dei creatus eſt, dignum erit vt omnis eius operatio, ſermo, cogitatio diuinum ſapiat amorem & timorem. Enimuerò vix illum formauerat, cùm poſuit eum in paradiſo voluptatis vt operaretur & cuſtodiret illum. Hic duo quædam innuuntur, operari ſcilicet & cuſtodire; vt ſtrenuè operemur, & dū alia & alia opera quærimus, iam ante habita cuſtodiamus.

Vtilitas exercitiorum ſpiritualium.

Magna ſpiritualium exercitiorum eſt vtilitas. I. Quòd euadant vagas & malas cogitationes: iis enim plerumque homo afficitur, nullo ad manum habito certi exercitij fræno, mobilem animum reſtringente.

Gen 8:21. Vitantur malæ cogitationes. Roſeti ſpir. part. 1. tit. 2. cap. 1.

*Senſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Impoſſibile eſt in ſtatu naturæ lapſæ ad priorem dignitatem fornicantem à Deo animum reuocare, niſi gratia duce, certis virtuoſis exercitiis ſeſe rationalis natura induerit*, ait I. Mauburnus.

Acquiritur noſtri cognitio.

II. Per certa exercitia facilè venimus ad noſtram cognitionem. Statim enim aduerti poteſt, quantum proficiamus aut deficiamus.

Ex actibus fit habitus.

III. Ex actibus iteratis fit habitus, qui tandem vergit velut in naturam. Et vt tepiditas ac mentis frigiditas proueniunt ex remiſſa negligentia ſpiritualium exercitiorum; ita affectus ſuauis cauſatur ex ſedula continuatione talium exercitiorum.

# CAPVT V.
## Labor Monachorum.

### SVMMARIVM.

*I. Religioſi mente manuq́; exercentur: ſpiritualiter laborantes pro aliis orant.*

*II. Inſtitutores Ordinum in regulis ſuis mandant laborem manuum. doctrina Apoſtolica. in tribus vita monachi conſtat. regula S. Benedicti ſiniſtrè interpretata.*

*III. Labor manualis à S. Franciſco, diuerſis temporibus, locis, cauſis mandatus: in quo ipſe præiuit.*

*IV. Regula S. Franciſci variè explicata. vt eam intellexerint viri inter eos primarij. error Guilielmi de S. Amore. vt eleëmoſynam petere poſſint.*

*V. Pauli verba 2. Theſſ. 3: 10. ad quos pertineant. otioſi clara dicunt obſcura, ne confundantur. ægroti eleemoſynam accipere poſſunt. orantes, ſtatis horis manu laborent. quidam è ſeruili vita monachi fiunt, vt otientur.*

*VI. Labor vtilis ad profectum ſpiritualem. Pauli abbatis labor. è labore timor Dei, contra hoſtes victoria, humilitas. Euagrij pœnitentia. labore animus non diſſoluitur, ſed colligitur.*

*VII Euthymij labor. in quo ſeculares confundant religioſos Archebij diligentia. Religioſi apibus ſimiles, varias artes exercendo, ſeipſos, peregrinos & aliundè quæſitos pauperes ſuſtentabant.*

*VIII. Vt intelligatur, non operari cibum qui perit. Florentij ſacerdotis labor.*

*IX. Vt ſe exercuerit S. Fulgentius, diſcipuli S. Martini, S. Hilarion., monaſterium Angliæ, Conuentus à S. Bonifacio inſtitutus. Labores SS. VVinoci & Malachiæ miraculis à Deo probati.*

I. Religioſorū alij ſpirituali labori deputati, alij mente manuque exercentur.

VIri religioſi, Eccleſiæ Catholicę ornamentum, ſpe gaudentes & Domino ſeruientes, in duplici differentia eſſe dici poſ-

ci poſſunt. Quidam enim ſe totos è ſuperiorum obedientia ſpirituali labori tradunt: alij manibus ita laborant, vt tamen internum cum Deo colloquium, eiuſque laudem non deſerant. Priores illos, qui patrum ordinatione ſaluti proximorum intenti cum aliis non laborant, pro laborantibus orare debere, docet I. Gerſon *a* vbi etiam deuotam animam ſic introducit Deo loquentem: *In labore & ſudore alterius comedo panem: quoniam mihi tribuis quod alij magnis nacti ſunt laboribus, nunc æſtum, nunc frigus paſſi, mari terraq́; in mediis periculis peruagantes. Tu mihi terras & poſſeſſiones populi largiris, vt diligentiùs ac liberiùs mediter in mandatis tuis, & legem tuam exquiram. Principes ac nobiles ſuorũ corporum periculis me ſemper in pace cuſtodiunt, vt ſine timore de manu inimicorum liberata, tibi ſeruiam in ſanctitate & iuſtitia omnibus diebus vitæ meæ. Iuſtum igitur eſt, vt & ego parte ex altera te pro omnibus aliis deprecer, à quibus tua bona ad me perueniunt: teq́; pro illis laudem, te obſeruem, te honorem*, &c.

a *De mendicitate ſpirituali, p.2*

Manu non laborantes pro laborantibus orent.

Idem Gerſon adfert notum illud exemplum S. Antonij, cui angelus apparens, nunc manibus laborando, nunc orando &c. viam ſalutis oſtendebat, & addit: *Vtinam attenderent benè hoc exemplum nonnullæ perſonæ, quæ ſub ſpecie quaſi vacandi Deo & deuotioni, nihil operari volunt manualiter, cùm tamen Apoſtolus dicat; Qui non laborat, non manducet. Quamuis enim vacare Deo per ſpiritualia exercitia non ſit ſine labore, laborare nihilominus interdum etiam manibus expedit*, &c. Et ſtatim: *Prudenter itaque & rectiſſimè religionum inſtitutores ſuis deputarunt filiis certas horas, non ſolùm ad cantandum, orandum* &c. *verum etiam ad labores manuum exteriores faciendum.* Et iterùm: *Etiam ipſi fratres Carthuſienſes, qui plus cæteris religioſis quieti contemplationis & ſpiritualibus exercitiis deputari videntur: habent, prout intellexi, certas horas quibus corporalibus intendunt operibus ſecretè & ſine ſtrepitu in ſuis cellis, ſit hoc ſcribendo, libros ligando, corruptos emendando, hortulos ſuos colendo* &c.

*Tract. de diſcretis exercitiis.*

II. Labor manuum probatus.

Ordinum inſtitutores in Regulis ſuis mandant laborem manuum.

Nequidem Carthuſiani à manuali opere liberi.

Similia de ſui temporis monachis narrat Caſſianus. *Ita ab eis inceſſanter operatio manuum priuatim per cellulas exercetur, vt pſalmorum quoque vel cæterarum ſcripturarum meditatio nunquam penitus omittatur.* Et: *Nullus poteſt vel inquietus eſſe, vel aliena curare negotia, niſi qui, operi manuum ſuarũ non acquieſcit inſiſtere.* Oſtendit deindè, otium omnium malorum eſſe fontem & originem. Ad illud caput ſic Alardus Gazæus cœnobij Vedaſtini alumnus:

Labor ſpiritualis corporali iunctus.

*In inſtitutis Cœnob. lib. 3. cap. 2.*

*Lib. 9. cap. 7.*

*Adverſus acediam ſtudioſè admodùm inculcat opus manuum, vt optimum, & perquam neceſſarium remedium, quod & Apoſtolorum doctrina & exemplo acceptum, ab antiquis deindè Patribus & monachis præſertim Ægyptijs perpetuo vſu & obſeruatione retentum & vſurpatum commemorat.* Idem Gazæus vbi loquitur de canonico nocturnarum orationum & pſalmorum modo, ſic ait: *Videant hæc imperiti quidam & importuni qui totos dies in pſalmodia & cantu inſumendos putant, quaſi verò nihil aliud penſi nobis incumberet: cùm exemplo veterum monachorũ, & noſtræ etiam regulæ inſtituto conſtet, tria eſſe in quibus vita monachi verſari debeat, vid. orationem, lectionem & laborem manuum. De iſtis tribus dicit Iſidorus. Setuum Dei ſine intermiſſione legere, orare, & operari oportet. Turrecrematus in illum locum regulæ: Conſiderandum, inquit, quod ex his quæ dicta ſunt de diſtributione horarum diei, lectionis, & laboris, & orationis manifeſtum eſt quantum aberrent, & temerè deuient ab intentione & inſtitutis Regulæ beatiſſ. P. Benedicti, qui tempus aſſignatum lectioni, & labori, totum in oratione expendunt. Sicut quidam faciunt qui ſenſum ſuum rectitudini regulæ, & SS. patrum prudentiæ præponentes; in quibuſdam monaſterijs neglecta lectione, & dimiſſo labore, diuinum officium adeò prolongarunt quòd ferè totum diem in eo occupant. In qua re quàm manifeſtè contra mentem beatiſſ. Patris & eius regulam veniant, facile eſt videre vnicuique, qui eius regulam etiam parumlegit.* Hæc omnia Gazæus.

Laborem Apoſtoli docuerunt.

In notis ad Caſſ. l. 2. c. 12.

In tribus vita monachi verſatur.

De ſummo bono l. 3. c. 20.

Regula S. Benedicti à quibuſdam ſiniſtrè interpretata.

III. Mandatum laboris manualis ex Teſtamento S. Franciſci.

S. Franciſcus in Teſtamento ſuo, loquens de felici iſtius Ordinis initio, ſic ait: *Ego manibus laborabam, & volo laborare, & omnes alij fratres firmiter volo quòd laborent de laboritio quod pertinet ad honeſtatem. Et qui neſciunt, diſcant, non propter cupiditatẽ recipiendi pretium laboris, ſed propter bonum exemplũ, & ad repellendũ otioſitatẽ. Et quando non daretur nobis pretiũ laboris, recurramus ad mẽſam Domini, petendo eleemoſynam oſtiatim.* Et in Regula. *Fratres qui ſciunt laborare, laborẽt, & eandẽ artem exerceãt quã noverint, ſi non ſit cõtra ſalutẽ animæ ſuæ, & honeſtè poterunt operari. Nam ait propheta: Labores manuum tuarũ quia manducabis, beatus es & bene tibi erit. Et Apoſtolus: Qui non vult laborare, non mãducet. Et vnuſquiſque in eadẽ arte & officio in quo vocatus eſt, permaneat. Et poſſunt pro laborẽ recipere omnia neceſſaria, præter pecuniam. Et: Quoſdam otiantes, alios verò tepidè laborantes, coram fratribus reprehendit, dicens: Tepidi, nec ſe familiariter & humiliter labori applicantes, de ore Dei citò euomentur. Fratres ergo omnes laborare volo, & exercitari humiliter in bonis operibus, vt ſimus populo minus onero-*

Cap. 7.

Quid pro labore recipere poſſint.

Colloquio 32.

Cur laborẽ mandet.

*roſi, & cordis & linguæ malis obuiemus, ne per malos cogitatus aut aliorum famam euagentur. Qui verò laborare neſciunt, addiſcant: lucrum autem vel mercedem laboris, non laborantis arbitrio, ſed Guardiani vel Prælati diſponendum.* Idem Sanctus. *Otium omnium malarum cogitationum ſentina eſt: laborandum ergo & cuique exercitandum in opere, ne otio deditus, per illicita corde aut lingua vagetur.*

*Oraculo 17.*

Certè ipſemet iugiter laborans, exemplo ſuo demonſtrabat, rebellem & pigram carnem fructuoſis laboribus eſſe domandam. Vnde corpus ſuum fratrem aſinum appellabat, tanquam laborioſis ſupponēdum oneribus, crebris cædendum flagellis, & vili pabulo ſuſtentandum. Si quem verò cernebat otioſum & vagum, aliorum velle manducare labores, fratrem muſcam appellandum cenſebat, eò quòd talis nihil boni faciens, ſed benefacta inficiens, vilem & abominabilem ſe omnibus reddat. Ita refert S. Bonavent.

Corpus ſuū vocat fratrē aſinum.

Et otioſum fratrē muſcam.

*In vita c. 5.*

IV.

Quomodo religioſi Minores prædicta interpretentur.

Prædicta verba Teſtamenti de opere manuali, ita à PP. iſtius Ordinis explicantur, vt Sanctus ille magis loquatur de labore ſpirituali circa ſtudium ſapientiæ, ad prædicationem Evangelij, officium prælationis, & cætera id genus. lege expoſitionem regulæ F. Ieronymi à Politio Generalis Ord. Capucc. c. 5. qui præter alia, ex decretali quadam innuit, laborem manuum nulli ex regula præcipi, ſed tantùm induci illos qui ſe ſpiritualibus exercitijs non exercent.

Narrat tamen R.mus. P. Camus, ab Innocentio 4. Pp. deputatos fuiſſe quatuor Magiſtros & Doctores Theologiæ Ordinis Minorum, Alexandrum de Ales, Ioannem de la Rochette, Godefridum Guardianum Pariſienſem, & Albertum ſive Robertum de la Baſtie, qui Regulam expoſuerint intelligendam de labore manuum, eorumque expoſitionem approbatam eſſe per Capitulum generale Bononiæ celebratum anno 1242. & regiſtratam in libro Ordinis, vti legem fundamentalem. Alexander 4. condemnauit errorem quēdam Guilielmi de ſancto Amore, dicentis, Ordines Mendicantes non poſſe omnino vivere aliundè niſi de proprio manuum labore, & nulla planè ratione de labore ſpirituali; & his omnibus deficientibus nequaquam recurſum habere poſſe ad petendas eleemoſynas. Ita narrat citatus Camus. Qui addit, errorem fore non minus deteſtandum, ſi quis diceret quòd debeant viuere ſolùm de eleemoſynis, & nequaquam de labore nec corpo-

*De opere monach p. 2. ad ſect. 18.*

Quatuor viri doctiſſimi ad Regulam explicandam deputati.

Error Guilhelmi de S. Amore.

*Ad c. 12. Auguſtini de opere monach.*

*Adverſus acediam ſtudioſè admodùm inculcat opus manuum, vt optimum, & perquam neceſſarium remedium, quod & Apoſtolorum doctrina & exemplo acceptum, ab antiquis deindè Patribus & monachis præſertim Ægyptijs perpetuo vſu & obſeruatione retentum & vſurpatum commemorat.* Idem Gazæus vbi loquitur de canonico nocturnarum orationum & pſalmorum modo, ſic ait: *Videant hæc imperiti quidam & importuni qui totos dies in pſalmodia & cantu inſumendos putant, quaſi verò nihil aliud penſi nobis incumberet: cùm exemplo veterum monachorũ, & noſtræ etiam regulæ inſtituto conſtet, tria eſſe in quibus vita monachi verſari debeat, vid. orationem, lectionem, & laborem manuum. De iſtis tribus dicit Iſidorus. Seruum Dei ſine intermiſſione legere, orare, & operari oportet. Turrecrematus in illum locum regulæ: Conſiderandum, inquit, quod ex his quæ dicta ſunt de diſtributione horarum diei, lectionis, & laboris, & orationis manifeſtum eſt quantum aberrent, & temerè deuient ab intentione & inſtitutis Regulæ beatiſſ. P. Benedicti, qui tempus aſſignatum lectioni, & labori, totum in oratione expendunt. Sicut quidam faciunt qui ſenſum ſuum rectitudini regulæ, & SS. patrum prudentiæ præponentes, in quibuſdam monaſterijs neglecta lectione, & dimiſſo labore, diuinum officium adeò prolongarunt quòd ferè totum diem in eo occupant. In qua re quàm manifeſtè contra mentem beatiſſ. Patris & eius regulam veniant, facile eſt videre vnicuique, qui eius regulam etiam parum legit.* Hæc omnia Gazæus.

Laborem Apoſtoli docuerunt.

*In notis ad Caſſ. l. 2. c. 12.*

In tribus vita monachi verſatur.

*De ſummo bono l. 3. c. 20.*

Regula S. Benedicti à quibuſdam ſiniſtrè interpretata.

III.

S. Franciſcus in Teſtamento ſuo, loquens de felici iſtius Ordinis initio, ſic ait: *Ego manibus laborabam, & volo laborare, & omnes alij fratres firmiter volo quòd laborent de laboritio quod pertinet ad boneſtatem. Et qui neſciunt, diſcant, non propter cupiditatẽ recipiendi pretium laboris, ſed propter bonum exemplũ, & ad repellendũ otioſitatẽ. Et quando non daretur nobis pretiũ laboris, recurramus ad mẽſam Domini, petendo eleemoſynam oſtiatim.* Et in Regula. *Fratres qui ſciunt laborare, laborẽt, & eandẽ artem exerceãt quã nouerint, ſi non ſit cõtra ſalutẽ animæ ſuæ, & honeſtè poterunt operari. Nam ait propheta: Labores manuum tuarũ quia manducabis, beatus es & bene tibi erit. Et Apoſtolus: Qui non vult laborare, non mãducet. Et vnuſquiſque in eadẽ arte & officio in quo vocatus eſt, permaneat. Et poſſunt pro laborè recipere omnia neceſſaria, præter pecuniam. Et: Quoſdam otiantes, alios verò tepidè laborantes, coram fratribus reprehendit, dicens: Tepidi, nec ſe familiariter & humiliter labori applicantes, de ore Dei citò euomentur. Fratres ergo omnes laborare volo, & exercitari humiliter in bonis operibus, vt ſimus populo minus oneroſi*

Mandatum laboris manualis ex Teſtamento S. Franciſci.

*Cap. 7.*

Quid pro labore recipere poſſint.

*Colloquio 32.*

Cur laborẽ mandet.

*roſi, & cordis & linguæ malis obuiemus, ne per malos cogitatus aut aliorum famam euagentur. Qui verò laborare neſciunt, addiſcant: lucrum autem vel mercedem laboris, non laborantis arbitrio, ſed Guardiani vel Prælati diſponendum.* Idem

*Oraculo* 17. Sanctus. *Otium omnium malarum cogitationum ſentina eſt: laborandum ergo & cuique exercitandum in opere, ne otio deditus, per illicita corde aut lingua vagetur.*

Certè ipſemet iugiter laborans, exemplo ſuo demonſtrabat, rebellem & pigram carnem fructuoſis laboribus eſſe domandam. Vnde corpus ſuum fratrem aſinum appellabat, tanquam laborioſis ſupponẽdum oneribus, crebris cædendum flagellis, & vili pabulo ſuſtentandum. Si quem verò cernebat otioſum & vagum, aliorum velle manducare labores, fratrem muſcam appellandum cenſebat, eò quòd talis nihil boni faciens, ſed benefacta inficiens, vilem & abominabilem ſe omnibus reddat. Ita refert S. Bonavent. *In vita c.* 5.

Corpus ſuũ vocat fratrẽ aſinum.

Et otioſum fratrẽ muſcam.

IV.

Quomodo religioſi Minores prædicta interpretentur.

Prædicta verba Teſtamenti de opere manuali, ita à PP. iſtius Ordinis explicantur, vt Sanctus ille magis loquatur de labore ſpirituali circa ſtudium ſapientiæ, ad prædicationem Euangelij, officium prælationis, & cætera id genus. lege expoſitionem regulæ F. Ieronymi à Politio Generalis Ord. Capucc. c. 5. qui præter alia, ex decretali quadam innuit, laborem manuum nulli ex regula præcipi, ſed tantùm induci illos qui ſe ſpiritualibus exercitijs non exercent.

Narrat tamen R.^mus^ P. Camus, ab Innocentio 4. Pp. deputatos fuiſſe quatuor Magiſtros & Doctores Theologiæ Ordinis Minorum, Alexandrum de Ales, Ioannem de la Rochette, Godefridum Guardianum Pariſienſem, & Albertum ſive Robertum de la Baſtie, qui Regulam expoſuerint intelligendam de labore manuum, eorumque expoſitionem approbatam eſſe per Capitulum generale Bononiæ celebratum anno 1242. & regiſtratam in libro Ordinis, vti legem fundamentalem. Alexander 4. condemnauit errorem quẽdam Guilielmi de ſancto Amore, dicentis, Ordines Mendicantes non poſſe omnino vivere aliundè niſi de proprio manuum labore, & nulla planè ratione de labore ſpirituali; & his omnibus deficientibus nequaquam recurſum habere poſſe ad petendas eleemoſynas. Ita narrat citatus Camus. Qui addit, errorem fore non minus deteſtandum, ſi quis diceret quòd debeant viuere ſolùm de eleemoſynis, & nequaquam de labore nec cor-

*De opere monach p. 2. ad ſect.* 18.

Quatuor viri doctiſſimi ad Regulam explicandam deputati.

Error Guilielmi de S. Amore.

*Ad c. 12. Auguſtini de opere monach.*

porali nec ſpirituali.

Quomodo eleemoſynā petere poſſint.

Cùm Eccleſia permittit vt à fidelibus quædam accipere poſſint; ſupponit continuum & aſſiduum laborem circa ſalutem animarum,& proindè vti bonos operarios dignos eſſe mercede: ſed ſimul monentur ita ſpirituali labori intendere, vt corporalem non negligant, nec bonas & ſanctas monachorum Cōſtitutiones infringant. Theodoſius anachoreta dicit abſurdum eſſe,vt ſeculares ſe affligant pro ſe,pro principibus,pro pauperibus;monachos autem ſedere compreſſis manibus, & alienis frui laboribus. S. Thomas vbi quærit, an religioſi ad manuū laborem teneantur, cùm pro parte negatiua adducat multa argumenta, tantùm probat & concludit; laborem manuum non omnino omnibus religioſis eſſe neceſſarium ad ſalutem.

*Apud Theodor. in philotheo c.* 10.

Sententia notatu digna.

*Opuſc.* 19. *c.* 5.

S. Auguſtinus libro de opere monachorum, latè probat illis convenire Pauli verba; *Si quis non vult operari,nec mãducet.* Et intelligi debere de opere manuali,acriter inuectus cōtra quoſdã deſidioſos Apoſtoli verba malè interpretantes. Capite primo argumenta proponit quibus otium ſuum defendant. cap. 2. in fine, ſic reſpondet: *Cùm verò multis aliis locis epiſtolarum ſuarum quid hinc ſentiat, apertiſſimè doceat, ſuperfluo conantur & ſibi & cæteris caliginem obducere, vt quod vtiliter illa charitas monet; non ſolùm facere nolint, ſed nec intelligere ipſi, aut ab alijs intelligi velint,non timentes quod ſcriptum eſt; Noluit intelligere vt benè ageret.* Deindè & alia Apoſtoli verba excutiens, ſic ait: *Quid ad hæc dici poteſt, quandoquidem ne cuique poſtea liceret hoc pro voluntate, non pro charitate interpretari, exemplo ſuo docuit quid præceperit. Illi enim tanquam Apoſtolo prædicatori Euangelij Chriſti, militi Chriſti, plantatori vineæ, paſtori gregis conſtituerat Dominus vt de Euangelio viueret, & tamen ipſe ſtipendium ſibi debitum non exegit, vt ſe formã daret eis qui exigere indebita cupiebant.* & cap. 9. ad idem propoſitum: *Vereor ne fortè cùm differo volens id exponere, obſcurum reddam quod per ſe lucet & claret. Qui enim hæc verba non intelligunt, aut ſe non intelligere fingunt, mea multò minus intelligunt, vel ſe intelligere profitentur: niſi fortè propterea citò intelligant noſtra, quia conceditur eis intellecta deridere, de Apoſtoli autem verbis, non ita conceditur. Propterea vbi aliter ea ſecundũ ſuam ſententiam interpretari non poſſunt, etiam clara & manifeſta, obſcura & incerta eſſe reſpondent, quia praua & peruerſa dicere non audent.*

*2. Theſſal.* 3. 10.

V.

An Pauli verba ad religioſos pertineant.

*Cap.* 3.

Paulus non vtitur poteſtate quã poterat.

Otioſi, etiã quod clarũ eſt intelligere nolunt, ne confuuntur.

Poſtea oſtendit Timotheum iam

*Cap.* 15.

Ægrotus de alterius labore viuere poteſt,

iam valetudinarium & ad manualem laborem ineptum, ab Apoſtolo monitum, quòd tunc neceſſaria ſumere poſſet ab iis quos tanquam gregem paſcebat; & ſanctorum indigentias piè ſuppleri à bonis fidelibus, vel ob ſanctas occupationes, vel infirmitates corporales.

Cap. 17.

Orantes aut pſallentes ſtatis horis manibus laborare debent.

Vult interim vt ij qui orant aut pſallunt, ſtato diei tempore manibus laborent, ſic loquens, *Quid enim agant qui operari corporaliter nolunt, cui rei vacēt ſcire deſidero. Orationibus, inquiunt, & pſalmis, & lectioni, & verbo Dei. Sancta planè vita, & in Chriſti ſuauitate laudabilis: ſed ſi ab his auocandi non ſumus, nec manducandum eſt, nec ipſa eſca quotidie præparanda, vt poſſint apponi & aſſumi. Si autem ad iſta vacare ſeruos Dei certis interuallis temporum ipſius infirmitatis neceſſitas cogit, cur non & Apoſtolicis præceptis obſeruandis aliquas partes temporum deputamus?* Addit exemplum artificum qui cor & linguam mouent, cùm manus ab opere non recedant: ita nihil impedire ſeruum Dei manibus operantem in lege Domini meditari; & pſallere nomini Domini altiſſimi.

Cap. 22.

Sugillat eos qui è ſeruili vita monachi fiunt, vt otioſè viuāt.

Dein loquitur de ijs qui è ſeruili vita monachatum amplectebantur ſpe viuendi otioſè. *Neque enim apparet*, ait, *vtrum ex propoſito ſeruitutis Dei venerint, an vitam inopem & laborioſam fugientes, vacui paſci atque veſtiri voluerint, & inſuper honorari ab iis, à quibus contemni conterique conſueuerant. Tales ergo quoniam ſe quo minus operentur de infirmitate corporis excuſare non poſſint, præteritæ quippe vitæ conſuetudine conuincuntur, vmbraculo malæ diſciplinæ ſe contegunt, vt ex malè intellecto Euangelio, præcepta apoſtolica peruertere meditentur.* Hactenus Auguſtinus.

Audiatur & Caſſianus. *Quâ fiduciâ otioſis manibus gratis panem comedere audebimus, quem vas electionis Euangelica ſollicitudine & prædicatione conſtrictus, ſine opere manuum comedere non præſumit?* L. 10. c. 8. inſtitut.

VI.

Labor manuum vtilis ad mala vitanda, & ad profectum ſpiritualem.

Porrò opus manuum vario fine exercetur. Nec enim ita fit corporalis exercitij causâ, quàm I. Ad vitandum otium, & mala quæ inde conſequi poterant, imò & ad ſpiritualem profectum. ita narrat Caſſianus de abbate Paulo: cùm in eremo vaſtiore conſiſteret, & palmarum fructibus, ac modico horto ſecurus ſe ſuſtentaret, ad vitandum otium, collectis palmarum foliis quotidianum penſum velut inde ſuſtentandus à ſeipſo iugiter exigebat. Cumque opere totius anni antrum eius eſſet repletum, quod ſollicitè laborauerat ſingulis annis concremabat; probans ſine opere manuum *Inſtitut. l. 10. c. 14.*

Paulus abbas, labore parta concremabat.

nuum,nec monachum perdurare, nec ad perfectionis culmen aliquando conſcendere.

Felix labor, dum per eum non ſolùm mala vitantur, ſed & virtutes acquiruntur. Hinc B. Iſaias abbas. *In opere & labore manus tuas exerce, & timor Dei tecum habitabit.* Et poſteà: *In omni loco atque opere deſidiam vita, ne te inimici vis opprimat. Quemadmodum domus extra ciuitatem diruta fit locus fœtidus: ſic anima pigri monachi vitiorum fit domicilium. Labor & paupertas, & hoſpitalitas, & afflictio, & ſilentium pariunt humilitatem; humilitas verò veniam impetrat omnium peccatorum.*

*Orat. 9. ad eos qui mundo renuntiarunt.* Per laborē timor Dei acquiritur. Inimicus repellitur. Humilitatem parit.

B. Dorothæus de humilitate differens, ait viam humilitatis eſſe labores corporeos, quos quis cum ſcientia facit, aliis ſe ſubiiciens, & Deum ſine intermiſſione orans. Dein explicat quid labor corporeus in ſe habeat ad animæ diſpoſitionem. Quod ſcilicet anima cum præuaricata eſt, & à diuino præcepto decidit, cœperit corporeos mores amplecti & diligere, vt vnum cum corpore inuenta ſit, & caro facta: hinc compaſſa & diſpoſita eſt infelix anima ab his quæ patrantur in corpore. Labor verò humiliat corpus, quo humiliato, & ipſa humiliatur. Addit exemplum de Euagrio à blaſphemia oppugnato, qui ſciens blaſphemiam à ſuperbia prouenire, & humiliato corpore humiliari pariter & animam, 40. dies ſub dio pernoctauit, ita vt de eius corpore vermes ſcaturirent, vt in agreſtibus animalibus ſolet accidere, & præ labore pus euomeret.

*Doctrina 2.* Labor corporis via humilitatis.

Dura Euagrij pœnitentia.

II. Laborant, vt ſibi honeſtè victum acquirant, & Adæ primo parenti ſimiles non fiant, qui maluit priùs manducare, quàm laborare. Author tractatus de vita ſolit. apud S. Bern. commendat, inter labores ruralis operis attendi ad contritionem & humiliationem cordis, ne externa exercitia ſenſus nimiùm diſtrahant, & fortè ſpiritum exhauriant. dein ſubdit: *Fatigationis ſuæ preſſura exprimunt ſæpe vehementioris affectum deuotionis: quod etiam in labore ieiuniorum, vigiliarum, & omnium in quibus afflictio corporis eſt, crebrò fieri manifeſtum eſt. Serius tamen animus & prudens ad omnem ſe comparat laborem, nec in eo diſſoluitur, ſed per eum magis in ſeipſum colligitur, qui ſemper præ oculis habens, non tam quod agit, quàm quo agendo intendit, omnis conſummationis attendit finem. Quo inquantum verius innititur intantum etiam feruentiùs & fideliùs manibus operatur, totius ſibi corporis ſubiiciens ſeruitutem. Coguntur enim in vnum ſenſus ad diſciplinam bonæ voluntatis, nec laſciuire eis va-* cat

Quid inter laborandū fieri debeat.

Labore animus non diſſoluitur, ſed colligitur.

*cat à pondere laboris, ſed ſubacti & humiliati in obſequium ſpiritus docentur conformari ei & in laboris participatione, & in conſolationis expectatione.*

III. Vt etiam de laboris lucro proximo ſubueniant: Cyrillus presbyter & monachus, qui à Baronio ad an. 475. vocatur diligens, veritatis cultor, & illorum temporum florens hiſtoricus; in vita S. Euthymij Magni abbatis, c. 3. hæc inter alia: *Sæpè admonebat paternè* ( monachos ſuos) *ſe omni tempore dedere laboribus manuumq́ artificio & operationi, & vt Pauli imitatores, & diuinarum eius legum ſumus adimpletores. non otij crimen ſolummodo vitantes; ſiquidem ne alimento quidem eum dignum iudicat qui eſt adeò hebes & negligens: otioſus enim, inquit, ne comedat quidem; ſed eaſdem quoſque quas ille, manus habentes. Manus, inquit, hæ mihi ſuppeditarunt & iis qui erant mecum. Eſt enim abſurdum, homines quidem qui in mundo verſantur, vxorem & filios, & totam familiam alere labore ſuarum manuum, & annuum ab eis ſolui tributum: quinetiam ſuorum quoque laborum eos Deo dare primitias, & benefacere pro viribus; nos autem ne alios quidem impertiri fructu noſtrarum manuum.*

VII. Euthymius laborando ſuis præit.

Religioſos confundunt ſeculares qui labore familiam alunt, dant tributum & decimas.

Caſſianus narrat de quodam Archebio miræ auſteritatis monacho, qui mortuo patre, cum audiret mattem à creditoribus inquietari; *Ita ei ſubuenire feſtinauit oppreſſæ, vt nihil à propoſita diſtrictione laxaret. Intra monaſterij namque clauſtra perdurans ſoliti operis penſum ſibimet triplicari popoſcit. Et ibi per totum anni ſpatium diebus pariter noctibuſq́ deſudans, debiti modum operis ſudore paratum creditoribus ſoluens, matrem omni inquietudinis iniuriâ liberauit, ita eruens eam debiti ſarcina, vt nihil de propoſiti rigore præ neceſſitatis obtentu pateretur imminui.* Et de ſui temporis religioſis loquens; *Non ſolùm*, inquit, *à nullo quicquam ad vſum victus ſui accipere patiuntur, ſed etiam de laboribus ſuis, non tantum ſuperuenientes ac peregrinos reficiunt fratres, verùm etiam per loca Libyæ, quæ ſterilitate ac fame laborant, nec non etiam per ciuitates his qui ſqualore carcerum contabeſcunt, immanem conferentes dirigunt alimoniæ victuſq́ ſubſtantiam, de fructu manuum ſuarum rationabile ac verum ſacrificium Domino tali oblatione ſe offerre credentes.*

*In inſtit. lib. 5. c. 38.* Mira Archebij diligentia.

Matris debita ſoluit.

*Lib. 10. c. 22.*

Religioſi de labore ſuo ſeipſos, peregrinos, alioſque paupe-res alunt.

Ad illud caput ſimilia aliquot iungit Gazæus. Epiphanius: *Laborant propriis manibus ad impertiendum etiam indigentibus: quemadmodum etiam in ſingulis monaſteriis, tum in Ægypti regione, tum in aliis omnibus ſic laborant ad iuſtitiam, velut apes in manibus quidem habentes ceram opificij, in ore verò guttas mellis cum propria hymnifera*

*Lib. 3. hær. 80.*

Apibus comparantur.

*voce vniuerſorum Dominum iuxta proprium ſenſum laudant.*

Variæ artes in vno monaſterio exercitæ.

Palladius de quodam monaſterio loquens in quo erant 300. monachi, ſcribit eos exercuiſſe omnem artem, atque adeò ædificaſſe monaſteria, & alium quidem laboraſſe in agro colendo, alium in horto, alium in piſtrino, alium in æris officina, alium in fabricando, alium in conſuendis calceis, alium in pulchrè ſcribendo, alium contexere magnas ſportas, alium caniſtros & ſportulas.

*Lib.6.c.28.*

Mirum quid referunt Vitæ PP. & Sozom. Serapion decem millium monachorum pater erat. Mos fuit non ſolùm ipſis, ſed & omnibus penè Ægyptiis monachis, vt meſſis tempore mercede conducti fruges demeterent, atque ex eadem mercede octogenos vnuſquiſque modios frumenti plus minuſue conquirat, & horum partem plurimam pauperum vſibus offerunt: vnde non ſolùm regionis illius indigentes alantur, ſed & Alexandriam naues frumento onuſtæ dirigantur, vel in carcerem concluſis, vel reliquis peregrinis atque egentibus erogandæ. neque enim intra Ægyptum ſufficiunt pauperes, qui poſſint miſericordiæ eorum & largitatis fructus abſumere.

Non ſolùm totius Ægypti pauperes à religioſis ſuſtentati, ſed etiā longiùs miſſæ ab eis eleemoſynæ.

S. Baſilius cùm proponit, num fortè ſuperuacaneum ſit laborare, cùm præceptum Domini ſit, non laborare cibum qui perit; tacitæ multorum obiectioni ita reſpondet: *Cùm vetuiſſet operari cibum qui perit, docuit, & illum operaremur qui manet in vitam æternam, de quo ipſe alio in loco apertè locutus eſt, quando dixit: Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me, Patris. Quod ſi Dei voluntas eſt vt famelici alantur, ſitientibus potio, nudis veſtitus præbeatur, & cætera: neceſſariò prorſus imitandus eſt Apoſtolus, qui de ſeipſo loquens, ſic dicit: Omnia oſtẽdi vobis, quod ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos. ex mandato Domini propter vtilitatem proximi, & ſollicitudo & labor contentiùs ſuſcipi debent.* Ita Baſilius.

VIII. Quomodo intelligendum ſit, nō operari cibum qui perit.

*In regulis breuior. interrogatione 207.*

Thomas Kemp. In vita Florẽtij dicit quod pretioſum tempus fructuosè niſus fuerit expẽdere; cauens omnino, quamuis beneficiarius eſſet, panem ſuum gratis & abſque labore manducare, eumque diligenter obſeruaſſe, quod à Ven. magiſtro Gerardo didicerat & acceperat, cuius ſententia fuit, vt nemo ad congregationem ſuſcipi deberet, niſi ſecundum Pauli dictum manibus laborare vellet. *Eſt namq; operatio ſancta*, inquit, *ad omnem ſpiritualem profectum vtiliſſima, per quam carnis laſciuia domatur, & ab euagandi leuitate mens diſſoluta citiùs refre-*

*Cap.14.* Diligentia Florentij ſacerdotis.

Quantum boni ex labore.

*refrenatur. Per hanc otia nociua tolluntur, & confabulationes friuolæ ex otio ſurgentes, faciliùs decurtantur. Occaſione enim loquendi ſublata, labor proficiet in manibus, & erit ſemper ditior in bonis, qui fuerit operarius fidelis. Per hanc etiam neceſſitatibus fratrum ſapienter prouidetur, & pauperum miſeriis copioſiùs ſubuenitur.*

IX. De magno illo Fulgentio Ruſpenſi Epiſcopo, narrat quidam eius diſcipulus. *Totum ſe cum vitiis & concupiſcentiis crucifigens, manibus etiam ſuis delectabiliter operabatur. Nam & ſcriptoriis arte laudabiliter vtebatur, & palmarum foliis flabellos ſæpiſſimè contexebat. cui operi etiam cùm fuiſſet abbas in ſuo monaſterio vacabat.* S. Martini ſectatores in Gallia libris ſcribendis operam dabant, teſte Sulpitio *a* S. Hilarion ligna in vrbem portabat, vt inde victum quæreret.

In quibus ſe exercuerit S. Fulgentius. *In eius vita cap. 14.*

Diſcipuli S. Martini. *a Lib. 1. vita S. Martini.* S. Hilarion.

Beda loquitur de quodam celebri monaſterio Angliæ, & præcipuè illos laudat, quod labore manuum ſuarum viuerent. S. Bonifacius martyr, cùm quēdam Conuentum Ordinis S. Benedicti inſtituiſſet, ſcribens de eo Zachariæ Pontifici, & narrans exactam regularum obſeruantiam & ſingularem auſteritatem, non dubitat illud optimæ diſciplinæ fundamentum apponere quòd viuerent labore manuum.

*Hiſt. Angl. lib. 1. cap. 1.* Monaſterium in Anglia. Conuentus à S. Bonifacio inſtitutus. *In ep. Pont. poſt ep. 11. Zachar. Pp. cit. à I. P. Camus.*

Molanus in vitâ S. Winoci egregij quondam abbatis qui obiit anno 717. hæc inter alia habet: *Libens erat in laboribus propter illud apoſtolicum; qui non laborat, non manducet. Vnde quidquid operis aliorum manus velut arduum & graue fugiebant, impigrè ille & incunctanter accipiebat. Eſt porrò memorabile, quòd mola quam in fratrum & pauperum vſum libenter ſuis manibus rotabat, cùm in ſenili & defeſſa eſſet ætate, diuinitus aliquando mota, copiam farinæ euomuerit.*

*In Natal. SS. Belgij ad 6. Nouembr.* Labores S. Winoci.

Mola eius miraculosè farinam euomit.

Laborem manuum Deo gratum eſſe, alio miraculo docetur apud S. Bernardum in vita S. Malachiæ, vbi narrat, quòd cùm Benchorenſe monaſterium, olim celebre, tunc omnino dirutum, reædificare vellet; aſſumptis decem fratribus veniens ad locum cæperit ædificare. quadam die cum in ſecuri ipſe ſecaret, caſu ex operariis vnus, illo vibrante in aëra ſecurim locum incautè occupauit, quò iſtuc deſtinabatur, & cecidit ſuper ſpinam dorſi eius, tanto vtique impetu, quanto ille conatu impingere valuit. Corruit ille. accurrêre omnes putantes aut percuſſum ad mortem, aut mortuum: & tunica quidem ſciſſa à ſummo vſque deorſum; homo verò illæſus inuentus eſt, tam modi-

S. Malachias monaſt conſtruit.

Quidam ſecuri percuſſus, miraculo ſeruatus.

cè & ſummatim perſtricta cute, vt vix in ſuperficie veſtigium appareret. Stabat homo incolumis quem ſecuris proſtrauerat, intuentibus ac ſtupentibus qui circumſtabant: vnde & facti alacriores, promptiores exindè ad opus inuenti ſunt.

Addam verba Iacobi Middendorpij vbi cùm multa eius generis adfert, oſtendens externum laborem ac honeſta exercitia religioſis pulchrè conuenire, inter alia id refert: *Ioannes Trithemius veterum exemplo ad labores hortatur, qui neminem recipiebant, niſi laboraret. Ac tunc demum veterem integritatem corruiſſe deplorat, quando monachi diuites facti laborare deſierint.* *In hiſtoria monaſtica cap. 18.*

# CAPVT VI.

## Labor nobilium.

*SVMMARIVM.*

*I. Nobilitatis ratio in Sacris literis habita. nobilitas Paulæ Romanæ, Cypriani, Baſilij.*

*II. Quidam aliorum labores comedunt, ſe meliores contemnunt.*

*III. Labor nobilibus honorificus. malum, inopiâ premi, & laborare nolle.*

*IV. Digitus minimo proximus ignauiæ ſymbolum: ea in ſponſa Cantic. notata. hîc laborandum, ne in futuro egeamus.*

*V. Magnates laboribus aſſueti. cultura agri apud Romanos: labor Q. Cincinnati, Attilij Serani, M. Catonis, Maſſiniſſæ regis.*

*VI. Reginæ textrices. nec reges fruſtra manus habuiſſe oſtenditur. Labor Paulæ, Demetriadis, Giſalæ, Hiſpanarum mulierum.*

*VII. Nobilitas triplex, à Deo, ſanguine, virtute. vel quadruplex: naturalis, ſupernaturalis, politica, & ex vtraque mixta.*

*VIII. Nobilitas à virtute. vt mancipia ſunt qui peccant, ita*

*ita magni nobiles, qui Deum ſibi patrem vendicant.*
*IX. Nobilitas morum turpitudine obnubilata, deſpectus aulæ.*
*X. Multorum acedia, mentita humanitas vera iniquitas. quod ſine modo eſt, modum vocant. mali potenter patientur.*
*XI. Spiritualia exercitia nobilibus fructuoſa.*

AD honeſtum laborem ſiue corporalem velis, ſiue ſpiritualem, etiam nobiles voco, quos ſcilicet ſtemmatis ſplendor extulit, auorum claritas illuſtrauit. Nobilitas à noſcendo dicta, & nobilis quaſi noſcibilis, apud alios clarus & celebris: qui dum ad laborem etiam manuum inuitatur, minimè tamen à me contemnitur. Video enim, etiam in ſacris, nobilitatis rationem haberi. Moyſes gubernando populo præfecit non quoſlibet de plebeis, ſed nobiles, *Tuliq; de tribubus veſtris viros ſapientes & nobiles.* Audio Salomonem dicentem: *Beata terra cuius rex nobilis eſt.* Et de viro fortis iſtius mulieris; *Nobilis in portis vir eius.* Video Chriſti generationem regibus ortam à Matthæo deſcribi: & à S. Luca nobilem Baptiſtæ familiam recenſeri, vt ad maiorem eius laudem proficiat, quod virtus in viro nobili magis ſplendeſcat.

I. Nobilitas vnde dicta.

In Scriptura S. nobilitatis ratio habita.

*Deut.* 1: 15.

*Eccl.* 10: 17.

*Prou.* 31: 23.

*Lege S. Ambroſ. l. 1 in c. 1. Luca.*

Quòd ſi nobilitas generis contemnenda eſſet, SS. Patres non ita extollerent eos qui opes nobilitatem & honores huius mundi contempſerunt. S. Hieronymus de Paula dicit; quòd fuerit nobilis genere, nobilior ſanctitate, Gracchorum ſtirps, ſoboles Scipionum, Martiæ Papiriæ matris Africani vera progenies, iuncta viro Toxotio, qui Æneæ & Iuliorum altiſſimum ſanguinem trahit. addit deindè: *Hæc dicimus, non quòd habentibus grandia ſint, ſed quòd contemnentibus mirabilia. Seculi homines ſuſpiciunt eos, qui his pollent priuilegiis: nos laudamus qui pro Saluatore iſta deſpexerint.*

Paulæ Romanæ nobilitas.

De S. Cypriano ait Greg. Nazianz. quod fuerit opibus conſpicuus, potentiâ illuſtris, genere clarus, plurimarum artium cognitione mirabilis. orat. de S. Cypr.

S. Cypriani.

Et in orat. de S. Baſilio eum laudans, dicit, quod in nulla familia plures extiterint qui copiis militaribus præfuerint, populos rexerint, apud Impp. aulas gratiâ & authoritate valuerint, opibus, ſublimibus thronis, publicis honoribus, laudibuſque

S. Baſilij.

buſque claruerunt.

II. His ita præmiſſis, aduertere licet, multos aliena manu laborare, in aliorum labores intrare, & manducare. *Perdix fouit quæ non peperit*, ait propheta, quia pauper agricola multos nutrit qui ad ſe non pertinent. Multi pigri ad laborandum, & impigri ad accipiendum: veri Adæ filij qui manducare priùs elegit, quàm laborare: ſimiles magiſtris opificum multorum, qui nihil operantes tantummodo imperant, & tamen maiorem aliis mercedem accipiunt. Tales de laborantibus ſæpè contemptim loquuntur, qui ipſis decuplo nobiliores (modò veram noſcant nobilitatem) & meliores ſunt. Ficus fructifera quæ ſemper eſt in terra ſicca, melior eſt ſalice infructuoſa, quæ ſemper eſt in aqua voluptatis. *In ſalicibus in medio eius.* ſcilicet Babylonis. in medio Babylonis, id eſt huius mundi, multæ tales infructuoſæ ſalices ſunt, homines ſcilicet inutiles & infructuoſi.

Multi aliorum labores comedunt.

Iere.17: 11.

Contemnunt ſe meliores.

Pſal.136: 2.

III. Sed forſan nobilitatem ſuam & honorem labore grauiter lædi exiſtiment. Imò verò, quia labor, honor eſt; laborent, vt honorentur, Monet Sapiens: *Fili, in mãſuetudine ſerua animam tuam, & da illi honorem ſecundum meritum ſuum.* Stude manſuetudini, quia hæc honorem tibi conciliat, hæc eſt decus & gloria animæ tuæ. Alium ſenſum appoſitè dat Ianſſenius & vt cum præcedentibus & ſequẽtibus nectat, intelligit ſtudium laborandi, vt labore quis ſibi victũ paret, quaſi hic radicem inertiæ ſc. ſuperbiã, & ex ea naſcentẽ impatientiam ſuccidat per contrariam humilitatem, & ex ea naſcentem manſuetudinem. q. d. noli in laborando ob laboris moleſtiam & & difficultatem fieri impatiens, ideoque piger & tardus; ſed humiliter & manſuetè laborẽ omnem ſuſcipe, quia per eum glorificabis animam tuam, dando illi honorem, id eſt ſuſtentationem & alimoniam quæ ei pro ſua dignitate debetur. Honor in ſcriptura ſacra ſæpe alimoniam ſignificat, vt cũ dicitur; Honora patrem & matrẽ, id eſt, cole, obedi, & ale ſi indigẽt. *Qui benè præſunt presbyteri, duplici honore digni habeãtur.* id eſt, duplici ſtipendio.

Nobiles laborare debent, vt honorentur.

Eccli.10:31.

Labor corpori honorem tribuit, & ſuſtentat.

1.Tim.5:17.

Multi nolunt laborare, eò quòd laborem ſe ſuaque dignitate indignum putent. Hoc refellit Sapiens dicens; laborem eſſe honorem & gloriam animæ eiuſque dignitati congruũ, imò debitum: quia per laborẽ ſuſtentatur vita animæ in corpore, vt decenter viuere, veſtiri, cõuerſari poſſit: quæ omnia tollit pigritia.

Et quidem iam ante monuerat. *Noli extollere te in faciendo opere* Eccli.10:29.

*opere tuo: & noli cunctari in tempore anguſtiæ.* Sunt qui licet rei familiaris anguſtiis premantur, laborare tamen dedignantur, & ea exercere quibus inopiam ſuſtentarent, eò quòd nobiles ſint, & dedecere putent nobiles munia aliqua, quibus paupertati ſuæ conſulerent. Contra hos loquitur textus, quòd non debeant extollendo ſe iactandoque familiæ decus non operari, ſed facere quæ ad ſuſtentationē neceſſaria ſunt, non cunctari, nec oſcitanter ſe gerere cùm neceſſe eſt. ita ferè Octauianus de Tufo, rectè ad propoſitum noſtrum, licet alij dicant, arrogantiam in bono opere prohiberi, alij aliter explicent.

Sugillantur qui inopiâ preſſi laborare nolunt.

Vult ergo, prætextu honoris & nobilitatis non detrectandum eſſe laborem, & ne quis ex eo quòd magnus ſit, aut ſibi magnus videatur, indignum æſtimet magnos viros laborare, aut aliquid agere. Digitum minimo proximum ignauiæ ſymbolum eſſe docet Pierius & exporrigi ſine aliorum comitatu non poſſe, & quaſi alia munia dedignetur, in annulum, in aurum gemmaſque inſeri. Idem digitus odoribus & vnguentis quondam deliniebatur. an vt vulgò de ignauis, iiſque qui labores vano prætextu fugiunt, dicere ſolemus; opus eſſe illos vnguentis delibutos in capſulis recondi, ne qua eos hyemis aut ſolis vis adurat, teneros nimirum & laboris impatientes?

IV. Digitus minimo proximus ignauiæ ſymbolum. Lib. 41.

Et quidem non illum tantùm digitum ſed alios etiam omnes vnguento delibutos ſponſa prętulit. *Manus meæ ſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatiſſimâ.* rogata vt aperiret ſponſo, multas leueſque excuſationes attulit, ſocordiæ indulgens, ne ſurgeret. *Expoliaui me tunicâ meâ, quomodo induar illâ? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* in quibus omnibus ſponſæ ignauiam ſugillat Theodoretus. Siue igitur ad literæ ſonum, ſiue ſpiritualiter locus accipiatur, nulla ex cauſa à labore ceſſare debemus.

Ignauia in ſponsâ notata. Cant. 5: 5. Ibid. v. 3.

Dicta firmant quæ ſequuntur: *Melior eſt qui operatur & abundat in omnibus, quàm qui gloriatur, & eget pane.* id eſt, magis laudandus qui laborat, & indè rebus omnibus abundat, quàm deſidioſus egens & ſe iactans. Laborare, interpretatur Hugo, bona & benè. Carthuſ. bona & licita. Liranus, opus ruſticanum. Myſticè docemur, hîc laborare, ne in futuro egeamus. Non ſatis eſt, ſi iactare poſſimus, Chriſtum pro nobis paſſum, nos Dei filios & heredes, aliaq; quæ genus noſtrū nobile oſtendunt; ſed algendū, ſudandū, laborandū eſt. Se-

Præſtat laborando abundare, quàm otiãdo egere. Eccli. 10: 30.

Hîc laborandum ne in futuro egeamus.

men

men licet ex optima arbore, fructum non dabit, niſi ſeratur, rigetur, ſtercoretur, colatur: ita ſemen diuinæ gratiæ multos à nobis labores expoſcit, vt in cælo fructus percipiamus.

V. Exempla nobilium laborantiũ. Apud Romanos agrorum cultura præcipua.

Nunc pauca è multis exempla proponamus, vbi nobilium manus in laboribus ſeruierunt. Romani quidem Conſules, Dictatores, Senatores ex agris ſæpe vocarunt, & præter vrbanas tribus quatuor, reliquas omnes ruſticas conſtituerunt. à quibus tranſire ad vrbanas Romano ciui probro datum eſt. Apud eoſdem, agrum malè colere, aut minus arare quàm vertere, cenſoriâ notâ dignum putabatur. Octo dies culturæ agrorum veteres impendebant, nonum vrbanis rebus & nundinis. hoc inſtituto conſecuti ſunt, vt & culturâ agros fœcundiſſimos haberent, & ipſi valetudine firmiores eſſent.

*Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 11. ex Gell. & Varro. l. 2. proœmio de re ruſtica.*

Q. Cincinnatus ab agro vocatur ad conſulatum.

Æquis Romanorum conſulem in Algido monte obſidentibus; Quintius Cincinnatus Dictator omnium conſenſu dicitur. Colebat is trans Tiberim quatuor iugera Quintia deinceps nuncupata. Huc cum mandatis patrum legati vt eum in vrbem deducerent, venere. Conſtat agreſti operi intento ſub primum legatorum acceſſum, à Racilia coniuge togam ex proximo tugurio deprom ptam, abſterſumque toto corpore puluerem. Nauis illi publicè parata, Tiberique tranſuectum tres filij venientem primò, inde patres cæteraque multitudo gratulabunda accepit. Minutium conſulem obſeſſum liberauit: hoſtes vicit, duces in deditionem accepit, & ante currum triumphalem egit, corona aurea obſidionali donatus. Die 16. quam acceperat dictaturam depoſuit, & ad agrum ſuum eſt reuerſus.

*Vide Sabell. l. 3. ennead. 3.*

Victis hoſtibus ad agrum redit.

Attilij Serani labor.

Attilius Seranus, à ſerendo cognomen adeptus, agriculturæ ſtudioſiſſimus, dari ſibi in Africa ſucceſſorem poſtulauit, ne villæ ſuæ pauca iugera quædam peſſum irent, mortuo villico, cuius induſtriâ vxorem & filios alere conſueuerat. Senatus, ne inchoatum bellum omitteret, operam dedit, vt ager eius tolleretur, & vxori ac liberis publicè alimenta præſtarentur.

M. Catonis. *Plutarc. in Catone.*

M. Cato Cenſorius agriculturæ intendit, in iuuentute etiam propter emolumentum: nam duobus generibus dumtaxat quæſtus ait ſeruſum, agriculturâ & parſimoniâ.

Maſiniſſæ regis. *Diod. Sic. lib. 32.*

Maſiniſſa rex Numidiæ in agrorum cultura vſque adeò excelluit, vt ſingulis filiis reliquerit agrum decem millium iuge-

iugerum, omni inſtrumento ornatum.

VI. Reginæ Macedonũ veſtes texuere.

Reginæ Macedonum & Epiri, veſtes maritis, fratribus, filiis, parentibus, ipſæ propriis manibus contexebant & conſuebant. Alexander Macedo & Auguſtus Octauius domeſticis tunicis ab vxore, matre & ſorore, aut nepte confectis vſi ſunt. Ameſtris vxor Xerxis veſtem pulcherrimam texuit.

*Alex. lib. 4. c. 8.*

Lucretiæ laus.

Regij iuuenes Tarquinij, quum orta ſuper vxoribus contentione Romam properè veniſſent, cæteraſque regias nurus inter æquales conuiuantes; Lucretiam verò nocte ſerâ deditam lanæ inter ancillas in medio ædium ſedentem deprehendiſſent, pudicitiæ laus penes eam omnium conſenſu manſit, teſte Liuio.

Reges honori ducũt, arbores ſerere.

Salomoni voluptas & honor fuit cõſerere arbores &c. Hercules ſua manu quercus ſeuit, vt ait Plin. *a* Agamemnon plantauit platanos *b*. Cyrus gloriari ſolitus agrum ſe habere ſuis manibus conſitum, multaſque arbores manu ſua ſatas.

a *L. 16. c. 4.*
b *Ibid. c. 44.*

*Lib. 2. de geſtis eius.*
Nec reges fruſtra manus habent.

Alphonſus, vt habet Panorm. cùm à quodam reprehenderetur quòd propriis manibus laboraret, ſubridens petiit; An Deus & natura regibus nequidquã manus dediſſent. Carolus Magnus filios ſuos mechanicã aliquam, & filias ſuas lanificiũ vel linificiũ diſcere voluit. ita & Auguſtus Imp. filiam Iuliã & neptes ſuas lanificio voluit aſſueſcere.

Labor Paulæ.

S. Hieronymus Paulam nobiliſſimam diſcere vult lanam facere, tenere colum, ponere in gremio calathum, rotare fuſum, ſtamina pollice ducere. Demetriadem quoque pari nobilitate atq; opibus, habere iubet lanã in manibus, & vel ſtaminis pollice fila deducere, vel ad torquenda ſubtegmina in alueolis fuſa vertere. Giſala Henrici 2. Imp. ſoror, & vxor Stephani Hungarorum regis, ſuis manibus ſacras veſtes texuit.

Demetriadis.

Giſalæ.

Labori premium decretum.

Apud Hiſpanos veteres premium fuiſſe certamini publicè propoſitum tradunt ſcriptores, quæ plurimum neuiſſet, aut texuiſſet: idque ſtatis temporibus iudicabatur, allatis in publicum operibus: honoſque erat permagnus vt quæque multum & induſtriè laboraſſet. Manet hodieque idem ſtudium frugalitatis in pleriſque, & oſtentatur diligentia operis: tum apud optimas quaſque turpe eſt otioſam deſidere. Regina Iſabella Ferdinandi coniux, nere, ſuere, acu pingere quatuor filias ſuas doctas eſſe voluit, ex quibus duæ fuerunt reginæ Luſitaniæ, tertia Hiſpaniæ, Caroli Cæſaris mater, quarta Britanniæ, Henri-

*De Chriſti. feminæ l.1.* ci 8. coniux honeſtiſſima, ait Ludou. Viues.

Quòd ſi nobilibus honorificum & conueniens cenſeatur, quòd manuum labore ſe exerceant; ſequitur vt potiùs ſpiritualibus exercitiis ac labori veræque virtuti ſe dedant, ſine qua vera non ſubſiſtit nobilitas. Hæc etenim multiplex eſt. S. Greg. Nazian. triplex genus ſtatuit. Vnum, quod supernè originem traxit: quod ſi conſideremus, omnes peræquè nobiles ſumus, quia ad Dei imaginem creati. Alterum, quod à ſanguine proficiſcitur; cuius ratione haud ſcio an quiſquam nobilis dici poſſit, cum corruptione conſtet. Tertium à virtute aut vitio agnoſcitur, cuius vel vberius vel exilius participes efficimur, prout, opinor, diuinam imaginem vel integram ſeruauerimus vel corruperimus. Atque hanc demum nobilitatem amplectetur, quiſquis verè ſapiens ac philoſophus fuerit. Nam quantum ad illud nobilitatis genus quod in principum diplomatibus & edictis conſiſtit, tum vllo loco ac pretio habebo, cùm pictam quoque pulchritudinem laudandam duxero, ſimiamque ob id venerari cæpero, quòd leo eſſe iuſſa ſit.

*Orat. 18. inuectiua in Maximum.*

VII. Nobilitas triplex, 1. A Deo. 2. A ſanguine. 3. *A virtute.*

Ioan. Buſæus lib. de Statibus, Nobilitatis ſtatum ponit quadruplicem, ſcilicet naturalem, ſupernaturalem, politicam, & mixtam ex politica & ſupernaturali. Naturalem habent qui ſecundum naturam tales naſcuntur, vt aliis imperare valeant. Supernaturalis eſt, quâ quis eſt nobilis ante Deum. talis eſt quilibet iuſtus, vel in gratia & charitate Dei exiſtens. hinc Dominus per virum Dei ad Heli loquitur: *Qui contemnunt me, erunt ignobiles.* Nobiles per gratiam Dei, paſſim vocantur amici Dei, in adoptionem filiorum adſciti, filii Dei, heredes, diuinæ conſortes naturæ, reges, ſacerdotes, dij. Nobilitas politica ſeu ciuilis, dicta ſtirpis & ſanguinis, eſt eorum qui originem ducunt à maioribus nobilibus, qui rebus aliquando geſtis claruerunt, & diſtinguuntur à plebeis & vulgo. Nobilitas ex vtraque mixta dici poteſt, qualitas proueniens ex parentibus ſanguine claris; virtutibus ac probis moribus inſtructa.

Quadruplex dici poteſt. Naturalis. *Vide Ariſt. 1. politic. c. 5.* Supernaturalis. *1. Reg. 2:30.* Politica. Ex vtraque mixta.

Itaque vera nobilitas non ex genere, ſed ex virtute & gratia diuina petēda eſt. Quid Deo nobilius? atqui, *omnis qui facit iuſtitiā, ex ipſo natus eſt.* Magnus nobilis eſt qui nobilitatis parētem ſibi vendicare poteſt, licet fortè coram mūdo contemptus ſit aut ignotus. Qua ratione conſiſtat nobilitas, cum dura ſeruitute? Chriſtus

VIII. Nobilitas ex virtute petenda. *1. Ioan. 2: 29.* Nobilis eſt, qui Deum patrem habet.

Mancipia ſunt, qui peccant.

ſtus negat Iudæos eſſe liberos, niſi à peccatis liberētur. *Omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati; ſeruus autē non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum. ſi ergo vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* Pia quædam mulier extollens vocem de medio turbarum clamabat: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti.* Non negat Ieſus quod dixerat, ſed addit; *Beati qui audiūt verbum Dei & cuſtodiunt illud.* In quæ verba S. Chryſ. *Vna & ſola communis nobilitas atque neceſſitudo cum Chriſto eſt, vt voluntatem Dei facias: hic propinquitatis modus multò melior eſt illo atque vberior.* Quàm nobilis, quàm Deo propinquus eſt qui ei ſeruit, cùm ipſemet aſſerat, facientes voluntatem eius, & fratris & ſororis & matris locum obtinere!

1 Ioan 8:35. Lucæ 11:27. Verſ. 28. Hom. 45. Matth. 12:50.

IX. Nobiles nobilitatem morum turpitudine obnubilant.

Verùm, proh dolor! eò pauciores verè nobiles reperiuntur, quò plures generis claritatem morum turpitudine obnubilant. Si enim aulicos reſpicias, quæ non illic mali occaſio? quæ non peccandi libertas? Si fornicari lubeat, non deſunt lenones: ſi ſe vindicare, parati ſunt adiutores; ſi epulari, amici menſæ præſto erunt; ſi mendacio quenquam circumuenire, facilè teſtes inueniet: ſi diſcordias ſerere, erunt qui egregiè id efficiant: ſi virtutem verumque laborem deſerere velit, nemo coget; ſi vitia addiſcere, plures magiſtros deprehendet. Plura docet alphabetum aulicum ſubſcriptum:

Deſpectus aulæ alphabeto propoſitus.

*Aula, eadem eſt omnino fides, quæ mobilis auræ.*
*Blanditur, ſed poſt mordet, ceu ſcorpius, aula.*
*Conſiliis rarò melioribus vtitur aula.*
*Diſſimulet, regnare diu qui poſcit in aula.*
*Exulat integritas, probitas & candor ab aula.*
*Ferre moras, iram frænare, docemur in aula.*
*Grande decus, ridere bonos, cenſetur in aula.*
*Horrent vera loqui, cupiunt qui creſcere in aula.*
*Inuidiam qui ferre nequit, diſcedat ab aula.*
*Kyrie, qui ſenuêre, cantant eleyſon in aula.*
*Langūent virtutes, regnat ſcelus omne per aulam.*
*Muneribus mentes hominum capiuntur in aula.*
*Nugas aula leues, & fumos vendit inanes.*
*Otia quiſquis honeſta cupit, diſcedat ab aula.*
*Porta erebi in terris aula, & tua Tantale, pœna eſt.*
*Quæſtus, adulari & mentiri, primus in aula.*

*Rara auis in toto verè pius aulicus orbe.*
*Sinceris & ſimplicibus va ſemper in aula.*
*Turpe ſenex & inops, quando incolit aulicus aulam.*
*Vita difficilis methodus benè dicitur aula.*
*Xanthe retroibis, erit quando conſtantia in aula.*
*Ydra aula eſt capitum multorum, horrenda venenis.*
*Zenones fatui ſunt atque Thraſones in aulâ.*

Sed tolerabilius malũ eſſet ſi ſolis principũ aulis clauderetur. Si in eos qui extra curiam viuũt, oculos coniicias; videbis, inter eos cenſeri honeſtiores, qui ſunt alieno ære grauiores. Et vt primum acediam, laboriſque contemptum notem; omnia ab ipſis ſeriùs fiunt, ſeriùs cœnatur, ſeriùs ſurgitur, ſeriùs templum aditur, ſeriùs quidquam legunt, ſeriùs ſe recolligunt, ſeriùs ſe emendant. In verbis nulla fides: apud illos nil rariùs inuenitur, nil cariùs emitur, quàm veritas. Caput iis inclinant, quos ſine capite eſſe deſiderant: multi amicabiliter coram rident, & retrò mordent: amicè ſalutant, & malè optant: multi ſimul comedunt, & inimicitias interim in corde fouent: multi ſimul gradiuntur, quorum corda diuiſa ſunt: multi iis munera mittunt, quos libentiùs propriis dentibus laniarent.

X. Multorum nobilium acedia.

Mentita humanitas, vera iniquitas.

Iam verò, in veſtibus quanta illorum petulantia! Hiſtrionum inſtar comptuli diſcurrunt, vt in ornando corpore, etiam petulantiſſimis mulierculis non cedere velle videantur. Pudet me ſcribere, quod non pudet illos perpetrare. Enimuerò, neſcio quem eorum modum deſcribere poſſim, qui modi nullum ſeruant modum. Scio, eſt modus in rebus: ſed ipſis morum modus abſque modo eſt, dum quidquid ab illis ſtultitia docente geritur, modus mendaciter nuncupatur. Nupera inuentio eſt, lunatis vti calceis: vbi pes oſtendit quid caput gerat, lunaticam fortè vertiginem, vt bene nuper R. P. Iacobus Caterus Societatis Ieſu ſacerdos ita luſerit:

Veſtes nobiliũ quales.

Quod ſine modo faciunt, modum vocant.

*Vnde intemperies tam publica, totq; nouarum*
*Tot rerum facies? moſq; moduſq; iubent.*
*Quis modus hic vita eſt ſic inſanire, modumq;*
*Ad patrocinij flectere iura ſui?*
*Parcite, ohe! figuli tot morum totq; modorum,*
*Vnus honeſtati moſq; moduſq; ſat eſt.*

Quin & in ipſis ſacris locis, cum bonorum omnium offendiculo ſummam oſtendunt irreueren-

Illorum irreuerentia in ſacris.

reuerentiam. Etiam ſub tremendo illo ſacrificio ſtantes, non orant, ſed garriunt: oculos laſciuiâ plenos in omnem partem detorquent, vbi tamen ipſi Seraphini tremunt, nec liberè intueri audent, ob præſentiam terribilis maieſtatis.

Potentes potenter patientur. *Sap.6:7.* *Ibid.v.8.* Verùm dum in his aliiſque multis tam turpiter excedunt, ſciant quod *potentes potenter tormenta patientur.* & quod *non ſubtrahet perſonam cuiuſquā Deus, nec verebitur magnitudinem cuiuſquam.* *Verſ 9.* quòd *fortioribus fortior inſtat cruciatio.* Cùm homines non timeant, timeatur ille qui poteſt & animam & corpus perdere in *Suprà v.10.* gehennam: Diſcant tempeſtiuè ſapientiam, & nòn excidant.

Bona rationabiliter expendenda. Conſiderent etiam ij, quibus Deus dedit diuitias huius mundi, quòd niſi rationabiliter expendant, & de ſua abundantia aliorum inopiam ſubleuent; eaſdem laqueum illis fore quo in inferno ſuſpendantur: & ideo ſolùm à manuum labore ſubleuari, vt meminerint tantò ardentiùs ſpiritualibus exercitiis & labori inſiſtere.

XI. Exercitia nobilium fructuoſa. Affectibus imperent. Videamus in quo magis fructuosè ſe exercere poſſint. In primis, laborent vt affectibus imperare poſſint, in quo vno virtutum ſumma vertitur. *Prou.16:32.* *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium.* magnus Alexander tot regum ac populorum victor iræ triſtitiæque ſuccubuit: quia hoc vnum egerat, vt omnia potiùs haberet in ſua poteſtate, quàm affectus. Illo longè fortior fuit Dauid, vir ſecundum cor Dei, qui non ſolùm ſummus orbis capitaneus & bellicâ gloriâ clariſſimus fuit, ſed longè animoſiùs affectibus imperauit, vt latè narrant libri regum, tam in cauſa Saulis, quàm aliorum; vir ſtupendæ manſuetudinis. Dauidis laus.

Deindè, ad veram tendant humilitatem animique ſubmiſſionem. Nulli ſe ob generis nobilitatem præponant, qui cum omnibus orare monentur; *Pater noſter, qui es in cælis.* quod non poſſunt verè ac piè dicere, niſi ſe fratres eſſe cognoſcant. S. Fulgentius ep. ad Gallam viduam, illam monet: *Nobilitatem carnis quæ ſuperbiæ fomes eſt, abiice, & nobilitatem ſpiritus perfectâ cordis humilitate ſectare.* Humilitas nos Deo gratos, hominibus amabiles efficit, præcipua conſeruatrix & cuſtos virtutum omnium. propter quod ſcriptura dicit: *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* *Eccli.3:20.* Humilitatem habeant.

Nobiles etiam, quia aliis imperant, ac proinde non timent, Deum timere diſcant, vt maiores & clariores euadant, ſecundum Deum timeant.

Eccli. 25:13. dum illud; *Quàm magnus qui inuenit ſapientiam & ſcientiam : ſed non eſt ſuper timentem Dominum.*

Minoribus ſint beneuoli. Denique, quiſque illorum pro ſtatu ſuo, pauperibus ſint benefici, ſubditis clementes & manſueti : vt & ipſi miſericordiam à Domino conſequantur in tempore opportuno, & percipiant coronam pro virtute, laborantibus paratam.

# CAPVT VII.

## Labor Plebeiorum.

### *SVMMARIVM.*

*I. Artes mechanicæ recenſitæ. Scriptores : ſcriptio vt fieri debeat, quinam in hac arte celebres.*

*II. Medicinæ tres ſectæ, tres ordines. qui hac arte laudabiliter vſi. documenta medicis neceſſaria.*

*III. Pictura vnde initium habeat. quàm ſit multiplex.*

*IV. Pictores celebriores inter ethnicos, Chriſtianos. Belgas, Antuerpienſes. pictores inhoneſti perſtricti.*

*V. Fabri, quidam argentarij, ferrarij, lignarij.*

*VI. Sartores. Ioannes à Leida, & Capenolle, mali operarij. Galeatij Vicecomitis factum. Sutores : pellium vſus an apud Romanos. veſtes apud illos alioſq. vſitatæ.*

*VII. Molitores: molæ variæ. ſerui in piſtrino. Piſtores: clibani inuentio. S. Guilielmi factum.*

*VIII. Textores. prudens mulier vt conſilio manuum ſit operata. mulieres, etiam principes textoriam exercentes recenſitæ. veſtes acu factæ &c.*

*IX. Agricultura à Deo inſtituta : Manichæorum error. à natura intenta : abſque ea omnia deficiunt. Primi parentes & patriarchæ vt ſe exercue-*

*exercuerint. tribus Iſſachar labori dedita.*

*X. Agricultura à pluribus amata. pœna ciuiles huic arti incommodantium. libertas agricolis conceſſa. Campinientium ſolertia, labor.*

*XI. Operariis conſideranda. Labor ſit diligens. quem comitatur vtilitas & virtus. An diues laborare debeat. an mendicare poſſit, qui laborare poteſt. infideles operarij vt peccent.*

*XII. Labor patiens ſit: pauperes laborantes Deus vocat. In feſto abſtineant, aliàs puniendi.*

*XIII. Labori recta intentio iuncta. eius formandæ modus. quænam operarius ſibi proponat. Opera indifferentia vt meritoria eſſe queant.*

*XIV. Dæmon laici præſentia obſeſſum deſerit. quidam opera laicorum conuerſi. humiles efficaciùs ſæpe docent quàm concionatores.*

*XV. Boni operarij Clerum diligant: non detrahant: decimas ſoluant.*

*XVI. Pacem cum omnibus ſeruent: familiam piè inſtituant: Deum ſibi proponant.*

I. *Mechanicarum artiũ præcipuæ.* PLebeiorum nomine hoc loco comprehendemus quoſcumque opifices, qui in aliqua arte mechanica licita honeſto labori ſe tradunt. Illarum præcipuas quaſdam hîc annotare Lectori non ingratum fore ſperaui. Primum ſit ſcribendi officium. *Scriptores.* Scriptio tria requirit, ſcilicet vt rectè, eleganter, celeriter & expeditè ſcribatur. *Scriptio fiat rectè.* Rectè ſcribere, quod ſummæ artis eſt, docet ortographia, quibus quodque nomen literis exprimi, qui accentus, commata, cola & periodi adhiberi debeant; ſine eà nec elegantia, nec celeritas laudem meretur. *Eleganter.* Eleganter ſcribere, imitationis probæ eſt. *Celeriter.* Celeriter ſcribere, partim naturæ eſt, veloci ad nutum manu; partim artis, verba notis ſignificare, cuius author Cicero eſſe dicitur: ſed quia multarum litium cauſa erat, edicto cautum ne quis iis vteretur. nos aptiùs abbreuiatura exprimimus, quod volumus. Eſdras ſcriba velox, vniuerſas Hebræorum doctrinas memoriter tenuit. *Celebres quidam ſcriptores.* Clemens Romanus Pp. regiones vrbis octo notariis diuiſit, qui res martyrum

tyrũ diligenter perſcriberent, anno 94. Poſtea Iulius Pp. Conſtantino regnante alios inſtituit, per quos res Chriſtianorum deſcriberentur, anno 336. Proſper Aquitanus Leoni I. ab epiſtolis fuit, mox Regienſẽ Eccleſiam accepit, vir laborioſus & egregiè ſanctus. Rodolfus Agricola Friſius literas elegantiſſimè finxit, à quarum pictura ad artem pictoriam ſibi aditum parauit.

II. Medicina non contemnenda. Medicina, quæ ars eſt ad humani corporis ſanitatem tuendam, profligandoſque morbos comparata, neutiquam contemnenda eſt, monente Ieſu Syrach: *Honora medicum propter neceſſitatem, etenim illum creauit altiſſimus. A Deo eſt enim omnis medela, & à rege accipiet donationem.* (Eccli 38: 1.) vide locum. Tres eius ſectæ principales, empirica, methodica, rationalis. (Tres eius ſectæ.) Authores primæ ſectæ ſolam experientiam ſuæ ſectæ ſufficere affirmabant: alij methodici, quod methodum ſeu rationem artis compendiariam, ſequerentur: denique rationales, à ratione cui innituntur.

Tres eius ordines. Tres item eius ordines. I. earum rerum quæ corpus humanum conſtituunt, quas appellare placuit naturales, quod ad humani corporis naturam ac ſubſtantiam perficiendam concurrant. II. ordo earum rerum, quibus corpus humanum vt ſanum permaneat, fouetur ac conſeruatur: has non naturales nominant, quòd ſiniſtrè adhibitæ corpus humanum alterent, adeoque eius temperamentum ac conſtitutionem naturalem ſanitatemque deſtruant. III. earum rerum quæ corpus humanum lædunt ac corrumpunt: has præter naturam nuncupant, quod humani corporis naturæ omnino aduerſentur & contrariæ ſint.

In hac arte multorum labor, etiam ſanctè deſudauit S. Lucas non ſolùm pictor fuit, iuxta Nicephorum & alios, ſed etiam medicus, teſte Paulo. (Quidam in hac arte laudabiliter laborarunt. S. Lucas. *Ad Coloſ. 4: 14.*) Sancti fratres Coſmas & Damianus apud Ægram ciuitatem, multis ſuo labore ſolatio fuerunt. (SS. Coſmas & Damianus.) SS. Cyrus & Ioannes gratis medicinam exercebant, corporum pariter & animorum languoribus medelam adferentes. Alexandriæ pro fide paſſi ſunt. (SS. Cyrus & Ioannes. *Damaſc. l. 3. de imag. ex Sophronio.*) De S. Zenobio Epiſcopo Ciliciæ narrat Metaphraſtes, quòd medicinam feliciter exercuerit, additis etiam facultatibus, ita vt in pauperibus tam corporis quàm fortunarum mederetur inopiæ: (S. Zenobius.) ſimiliter de Sampſone quodam presbytero, qui diu pauperum medicus & hoſpes fuit, omneſque facultates illis diuiſit. (Sampſon presbyter.) Surius ad 3. Maij de S. Iuuenale Epiſcop. (S. Iuuenalis.)

ſcop. Narnienſi dubitat an plures corpore, ân animo ſanitati reſtituerit.

Excellentes medici inter ethnicos.

Inter ethnicos quoque multi excelluerunt. Præter Hippocratem, Galenum, alioſque paſſim notos; Acron Empedoclis diſcipulus ante Hippocratem vixit, & de medicina librum edidit. Cûm Athenis grauiſſima peſtilentia graſſaretur; Acron, ignibus quos in vrbe faciendos curauit, eam propulſauit. Critobulus ab oculo Philippi Macedonum regis telum extraxit, nullaque macula, aut deformitas relicta. Antonius Muſa, Auguſti Cæſaris medicus, à graui morbo illum ſanauit, eo artificio, vt ciuitas ei ſtatuam propè illam Eſculapij erexerit. Suetonius in Auguſto. lege H. Pintum dial. de vera amicitia.

*Cælius Rhodig. lib. 13. lect. antiq.*

*Curtius l. 8.*

*Cap. 19.*

Documenta medicis neceſſaria.

Porrò, vt fructuoſus ſit medicorum labor, videant, ne facilè & abſque neceſſitate ditioribus patrocinentur, vt ciborum delectum ab Eccleſia ſalubriter inſtitutum declinent, & cupediis ſuis fruantur, nulla temporis aut præceptorum habita ratione, timoreque Dei poſtpoſito, quod in multis animaduerto. Videant etiam ne nimis tardi ſint in monendo infirmos ſalutis ſuæ, & Sacramentorum tempeſtiuè percipiendorum: alioqui fieret, vt plures vel non ea quâ decet reuerentiâ & præparatione ea ſuſciperent, vel certè abſque illis præſidiis hinc migrarent. quo quid ineptius, aut crudelius?

III. Pictura.

Succedat ars pictoria, iam diu cum ipſo fere mundo nata. Nemrod enim cùm idololatriæ initium dedit, plaſticen & pictoriam propagauit. Sunt qui picturam ex eo volunt ſumpſiſſe initium, quòd opilio quidam dum fortè gregem ſuum paſceret, vmbram aliquot ouium pedo ſuo in arena circumduxerit, iiſque abactis, delineationem earumdem in terra reliquerit, quod mox circa alias res, ſole ſplendente, & vmbram earum proiiciente, ab aliis factum perhibetur, atque ita paulatim in tabulas irrepſiſſe variarum rerum delineationes, artemque excellentem tam debile initium habuiſſe.

Vnde ſumpſerit initium.

Pictura multiplex.

Picturam diuidunt in ſtatuariam, plaſticen, fuſoriam, cripticam, cælatoriam, & proprij nominis picturam. Statuaria ex lapide, ligno, ebore, metallo ſtatuas & imagines fabricat. Plaſtice, eaſdem format ex gleba, quam vel calce, vel alabaſtro, aut creta, & farina nonnunquam producit. Fuſoria eadem hæc in proplaſte, ex ære aliiſque metallis exprimit. Criptica lapidibus & gemmis inſculpit. Cælatoria

Statuaria.

Plaſtice.

Fuſoria.

Criptica.

Cælatoria.

æri incidit, & laminas efformat, quæ papyro imprimit.

*Pictura agreſtis.* Pictura propriè dicta varia eſt. quædam agreſtis, quibus ſiluæ, prædia, montes, vrbes repræſentātur: *Perſonalis.* alia perſonalis, quæ perſonam: *Hiſtorialis.* hiſtorialis, quæ euentum aliquem oculis obiicit: *Veſtiaria.* veſtiaria, quæ patet in labaris, vexillis, ſagis & togis perſonatorum, & aulæis: *Textilis.* textilis, quæ colorata byſſo, aut natiuis plumis acu texitur. Scriptura ſæpe meminit operis plumarij. denique *Muſiuaria.* eſt pictura muſiuaria, quæ in fornicibus, & pauimentis, ex teſſellis, conchis, ſcutulis marmoreis, aut vnionibus componitur. Alia item turpis, alia honeſta.

IV. *Quinam in hac arte excelluerint. Ethnici.* In hac arte multi excelluerunt. Inter ethnicos quidem Apelles, Protogenes, Polygnotus & Dionyſius, Ariſtides, Zeuxis, Androcides, Euphranor, Parrhaſius, Timantes, Apollodorus, Pamphylus, Conon, Pauſias, Theon, Philoxenus, Nicomachus. *Lib. 35. c. 10. & ſeq.* lege Plin. Inter Chriſtianos *Chriſtiani.* fructuosè ſe exercuit Methodius monachus, à Bulgarorum rege terribilia pingere iuſſus. Leonardus Vincius 12. Apoſtolos Mediolani in æde D. Virginis de Gratiis, opus excellentiſſ. depinxit, ait Volater. *Lib. 21. Antrop.* Melotius Foroliuienſis, Iacobus Bononienſis, Raphael Vrbinas, Lotus Florentinus, Piſanellus, Petrus Peruſinus, Andreas Mantegra Mantuanus. Belgæ *Belgæ.* noſtri, hac in re, vt in multis aliis, nulli cedunt nationi. Clariores dicuntur Hubertus & Ioannes van Eyck, Brugenſes fratres, Hieronymus Boſchius, Petrus Coeck Aloſtanus, Rogerius Bruxellenſis, Ioannes Scorelius, Cornelius Engelberti, Bernardus Bruxellenſis, Lucas Leidanus, Antonius Morus, Gerardus Petri, Ioannes Vredeman, Martinus Hemskercken, Hubertus Golzius, Ioannes Stradanus, Abraham Bloemaert.

*Pictores Antuerpiæ celebres.* Habuit Antuerpia noſtra ciues ſuos Hieronymum Cocum, Ioannem ab Hollant, Quintinum Zneſium è fabro pictorem excellentiſſimum, Iuſtum Cliuienſem & Bartholomæum Sprangerum, Franciſcum Florum, Criſpanum Broeck, Ioachimum Beuckelaer, Franciſcum Badium, Chriſtianū Quebornum, Martinum Voſſium, Georgiū Hofnaglium, Ægidiū Conincxloy, Ægidiū Moſtaert, Iacobum Geynium, Petrū Rubenium, Petrum Bruegeliū, Iodocum de Mompere, Sebaſtianum Francken, Henricum van Balen, Antonium van Dyck, alioſque plurimos.

Sed, hei mihi! multum vereor, ne plurimi huius artis periti

*Contra pictores inhoneſtos.* ti fruſtra laborent, & æternam ſibi damnationẽ acquirant, dum actus illicitos, eaque quæ natura cælauit, imò membra inhoneſta tam inuerecundè proponunt: vti etiam ſatyros, puellas nudas, & multa alia, quæ intuentium oculos ita deprauant, vt ſimul animos deprædentur. Vndique (pudet dicere) tabellis pictis in ſublimi poſitis, attenti laſciuiâ cubicula ornantur, & incautis oculis animiſque retia tenduntur. quaſi verò natura noſtra corrupta de ſe non ſatis prona foret ad iſta, niſi etiam impelleretur. Væ pictoribus! Videant illi quibus ex officio incumbit tales coërcere, *Acriter caſtigandi.* quomodo ſupremo iudici reſpondeant, ſi non acerrimè caſtigent & inuehantur in infames illos animarum prædatores, qui eiuſmodi obiectis propoſitis ſe alioſque ad libidines & petulantes iocos prouocare audent.

V. *Ars fabrilis. Fabri argentarij.* Fabrilis ars, à variis exercetur. Sunt enim fabri argentarij, cælatores, vti Demetrius ille argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præſtans artificibus non modicum quæſtum, & ſeditionis contra Paulum Apoſt. *Act 19:24.* ciẽdæ author. Vel ſunt fabri ferrarij, vt Tubalcain, *qui fuit malleator & faber in cuncta opera æris & ferri.* *Gen. 4:22.* Soſis Syracuſanus, faber ferrarius, quia pro M. Marcello in Syracuſis expugnãdis laborauerat, quingentis agri iugeribus & domo Syracuſis donatus eſt à Romanis bello Punico ſecundo. *Sabell. l. 4. ennead. 5.* Apud Germanos fabri ferrarij ex artis ſuæ operibus & inſtrumentis cognomina aſſumere cogebantur, gentilitio familiæ nomine & inſignibus abiectis. *Theatrum vitæ hum. V. Mechanica.* Vel frabri lignarij, vti S. Ioſeph pater Chriſti putatus, & ipſe Ieſus fabri filius. *Lignarij.* Villegiſus Archiepiſcopus Moguntinus fabri plauſtrarij filius fuit, à quo rota Archiepiſcopatus inſigne haberi cœpit. alij ædificant domos, tabernacula, ſellas, lectos: alij vaſa quæcumque, naues, varia inſtrumenta. ita Gilbertus Rhemenſis præſul, fabricauit organa, quæ calefactæ aquæ violentiâ modulatos emittebant ſonos.

VII. *Sartores. I. Capenolle.* Alij ſartoriam exercent. quã malè deferens Ioan. Capenolle Gandauenſis ſartor, Gandenſibus Maximiliano I. rebellantibus ſe ducem præbuit. & Ioannes à Leida ſartor Anabaptiſtarum *Ioannes à Leida.* Monaſterienſium rex in Weſtphalia, prophetam ſe mentitus, exactis honeſtiſſimis quibuſque ciuibus nouam remp. conſtituit, omne aurum & argentum in vnum conferre iuſſit, domos & veſtitum mutare, ne quis ſe proprium quid habere

putaret, aliaque nefanda perpetrauit.

Stultum Galeatij Vicecomitis factum.

Melius arte ſua vſus fuit ſartor ille, quem Ioan. Galeacius Vicecomes homo obeſus & multo cibo plenus cùm iret cubitum ad ſe vocari iuſſit, eum redarguens quòd arctiorem thoracem ſibi feciſſet: nam ſartor; Cras, inquit, optimè erit, & acceptam veſtem domi repoſuit, & cùm dominus poſt concoctionem ſurrexiſſet, veſtem fore ampliſſimam prædixit.

Sutores.

SS. Criſpinus & Criſpianus.

Etiam Sutorum labor reip. neceſſarius eſt. Eum ſanctè exercuerunt Criſpinus & Criſpianus, qui arte ſua ſutoria calceis pauperes iuuabant, multoſque ad fidem adducebant. ſub Maximiano martyrio affecti ad laboris præmia euolarunt. Ea ars ad veſtium & vaſorum artifices

Pellium vſus.

quoque refertur. Pellium vſus frigoris vitandi cauſa apud Britannos, & Scythas fuit. & Ouidius 3. Triſt. de illis inter quos exulabat;

*Pellibus & laxis arcent mala frigora braccis,*
*Oraque de toto corpore ſola patent.*

Incognitus apud veteres Romanos.

Apud veteres Romanos non fuiſſe, ait Tranquillus, dum narrat Auguſtum ſolitum eſſe hyeme ſe quaternis tunicis munire aduerſus vim frigoris, quod non feciſſet ſi pellibus molliori-bus vſi fuiſſent. Neronis tempore ea mollities irrepſit, cùm Seneca meminit de pelliculis vulpium & murium Ponticorum, ait Polyd. Bulla aurea apud Romanos puerorum nobilium toga erat, trabea triumphantium, lacerna ludos ſpectantium: militum verò paludamentum, chlamys, quæ & Macedonum Græcorumque abolla, læna & ſagum, quod vulgò ſayon vel cotta dicitur, à quo milites dicti ſagati. At ſtola matronarum erat, ad pedes vſque demiſſa, extremaque in parte inſtita, faſciola exornata.

*De inuent. rerum lib. 3. c. 6.*

Veſtes variæ apud Romanos, Macedones, Græcos.

*Polyd. ibid.*

VII. Molitores.

Non ſolùm veſtiri debet corpus, ſed etiam nutriri: ita circa cibos variorum labor deſudat. Sunt enim alij Molitores. Molam aſinariam priſcis fuiſſe accepimus, quam aſellus circumageret: molæ leuiores hominis manu circumferuntur: grauiores iumentariæ à iumentis, quibus occluduntur oculi, aguntur in gyrum. inde inuentus vſus earum ad ventum & ad equos. Paulò ante Auguſtum molæ aquariæ, Romæ in Tiberi primum factæ. Iulius pollux habet de ſeruis in piſtrino laborantibus, quibus machina rotunda circa ceruicem addebatur, ne manum ori liceret admouere: & id factum, ne farinam

Molæ variæ.

*Lib. 7.*

Serui in piſtrino.

nam

nam deuorarent.

*Piſtores.*

Alij piſtoriam exercent, vt ille piſtorum princeps apud Pharaonem, qui de morte ſua inſomnium habuit: interpretante *Gen.40:19.* Ioſepho, quod poſt tres dies auferretur caput eius, ſuſpenderetur in cruce, & lacerarent volucres carnes eius. Annus quidam Ægyptius clibanorum vſum, in quibus panes coquerent, fertur excogitaſſe. *Clibani inuentio.* Siquidem priſci pulte polentaque victitabant, cocti panis vſum neſcientes. Piſtores Romæ non fuiſſe ad Perſicum vſque bellum annis ab vrbe condita ſuper 580. ait Plin. *Piſtores Romæ ignoti. Lib.18.c.11.*

*S. Guilielmus in fornace illæſus. Marulus lib.4.cap.3.*

S. Guilielmus Aquitaniæ & Prouinciæ dominus, monachus factus, in omnibus abbati obediens, piſtoriam exercuit tanta alacritate & pietate, vt cùm ſcopam quâ prunas euerteret, non haberet, fornaci inſilierit, & veſte eas extraxerit, nulla interim vel corporis vel veſtimenti parte læſa.

Huc referendi Lanij, ſiue carnium diuiſores, omneſque illi qui laborant circa vinum, cereuiſiam, oleum. cuius vſum Moyſes in ſacris nouit, vt multò vetuſtior ſit olei vſus apud Hebræos, quàm ſint à Græcis celebrati inuentores fabuloſi, ait Polyd. *Olei vſus. Lib.3.c.3. de rerum inuent.*

VIII. Textores.

Ars textoria, reip. omnino neceſſaria, & varia adferens commoda. De forti quadam muliere loquitur Sapiens: *Quæſiuit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum.* q.d. *Prou.31:13.* ſtuduit lanificio: vnde non expectauit donec maritus ei lanam & linum coëmeret, vel obtruderet, ſed vltrò vtrumque quæſiuit, vt veſte lanea & linea, virum, filios, & domeſticos decorè veſtiret. Et manus iuxta voluntatē eius operatæ ſunt. *Manuum conſilio operari, quid ſit.* ita vt tam promptæ forent ad opus quam voluntas, ac ſi manibus inſita fuiſſet voluntas & promptitudo operandi. *Manum ſuam* *Verſ.19.* *miſit ad fortia & digiti eius apprehēderunt fuſum,* q.d. ita conſtanter fila ducit, vt manus ad fuſum ligatas habere videatur. Pro *fortia*, ait Corn. eſt in Hebr. *Kiſcor*, quod ab aliis vertitur colum, verticulum, vertibulum. accipi poteſt vel annulus lapideus qui infernè fuſo inſeritur; tum ad pondus vt deſcendat & defluat, tum vt eius rotunditate fuſus faciliùs gyretur: vel rota, quæ vna manu circumacta, fila quæ altera manu nentur circumducit. Sed melius eſt verbum *fortia*, quod Symmachus & alij vertunt, *virilia*. Lxx. *vtilia*, quòd ſcilicet manus extenderit ad opera ſibi congrua, decora, vtilia, induſtria, & conſequenter fortia.

Mulieres etiam principes, textoriam exercentes. Demetrias.

Ab omni æuo, ſtrenuæ mulieres, etiam principes ſe occuparunt. Hieronymus Demetriadem inſtituens; *Habeto*, ait, *lanam ſemper in manibus, vel ſtaminis pollice fila ducito, vel ad torquenda ſubtegmina in alueolis fuſi vertātur.* Et ad Lætam: *Diſcat & lanam facere, tenere colum, ponere in gremio calathum, rotare fuſum, ſtamina pollice ducere.*

*De inſtit. filia.*

Anna Elcanæ. 1. *Reg.* 2: 19.

Anna Elcanæ vxor, Samueli prophetæ filio ſuis ipſa manibus tuniculas fecit, & ſtatis diebus annuè tulit, vt expreſsè habetur. Anna quoque Tobiæ ſenioris vxor, *ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum ſuarum, victum quem conſequi poterat deferebat.*

Anna Tobiæ. *Tobiæ* 2: 19.

Sponſæ Romanæ colum ferebant.

Apud Romanos, ſponſæ colum ſecum in domum ſponſi inferebant & fuſum, virorumque ianuam lana coronabant ac cingebant, indicantes id ſibi in domo maritali exercendum.

S. Eliſabetæ labor.

Eliſabeth Hungariæ à ſuis iniuſtè omnibus ſpoliata, lanam & linum manibus operata eſt, vt & ſe aleret, & pauperes (quorum erat ancilla) vt mater veſtiret, pro corona ſuſcepit cinerem, pro faſcia pectorali cilicium, & pro ſceptro lanæ linique fuſum. Veſtes acu facere Phryges inuenerunt, ideoque Phrygiones appellatæ ſunt. Aurum intertexere in eadem Aſia inuenit Attalus rex, vnde nomen Attalicis. Colores diuerſos picturæ intexere Babylon maximè celebrauit. Plurimis liciis texere, quæ polymita vocant, Alexandria inſtituit: ſcutulis diuidere Gallia, ait Plin.

Veſtes acu factæ aurum intextum.

Colores diuerſi.

Polymitæ.

*Lib.* 8. *c.* 48.

IX. Agricolæ.

Agmen illud labor agricolarum claudat, etſi meritò primas teneat. Agricultura enim hanc dignitatem habet quod à Deo inſtituta ſit. *Tulit Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur & cuſtodiret illum.* Et poſteà: *Emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, vt operaretur terram de qua ſumptus eſt.* Aliæ artes penè omnes humana curioſitate inuentæ ſunt, ideo eodem ritu non perſeuerarunt. Adeoque benè monet Sapiens: *Non oderis laborioſa opera, & ruſticationem creatam ab altiſſimo.* Et meritò S. Auguſt. Manichæos vt ſtolidos ridet, quòd herbas & arbores ſic putarent viuere, vt vitam quæ illis ineſt, & ſentire crederent, & dolere cùm læduntur: vnde agriculturam omnium artium innocentiſſimam, vt plurium homicidiorum ream accuſabant.

Agricultura à Deo inſtituta. *Gen.* 2: 15.

*Cap.* 3: 23.

*Eccli.* 7: 16.

*Hereſi* 80. Manichæorum error.

Deinde, agricultura à natura principaliter eſt intenta. Nam cùm corpus noſtrum digniſſimum ſit inter omnia corpora ob vnionem ad animam rationalem

Agricultura à natura intenta.

lem & glorificationem futuram, ſequitur quòd reliqua corpora, cæleſtia & inferiora eidem ſubminiſtrare debeant. Cùm corpus humanum ſine victu & veſtitu in eſſe permanere non poſſit, & victus ipſe ac veſtitus ſine opere ruſtico non proueniat, patet totam machinam ad hoc ſeruire, vt homini neceſſaria ſubminiſtrentur. hinc Dominus ad Noë: *Cunctis diebus terræ, ſementis & meſſis, frigus & æſtus, æſtas & hiems, nox & dies, non requieſcent.* Dauid quoque Deum in operibus ſuis benedicens, & decorem vniuerſi laudans, cauſam totius infert & dicit: *Vt educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis,* &c. Vt agricola ſit præcipuus cooperator Dei, angelorum, & naturæ.

Corpus humanum aliùs nobilius agricultura nutritur.

Gen. 8:22.

Pſ. 103:15.

Quinimò, omnium Pontificum languet baculus, ruit mitra, areſcit dextera: omnium Imperatorum Regumque corona decidit, ſceptrum deridetur, purpura conculcatur, ſi ruſticana ope non fulciantur: Dux inſanit, molleſcit miles, delirat ſapiens, titubat artifex, ſtatus ipſe mundi totus deficit, ſi ruſticus agrum colere ceſſauerit. Hæc ſi quis non credat, efficaciter docebitur, ſi vel parum ab his quæ ruſticano ſudore proueniunt, abſtineat.

Abſque agricultura omnia deficiunt.

Denique, agricultura à viris celeberrimis approbata & culta eſt. Primi parentes è quibus totum genus humanum propagatum eſt, de agricultura & pecorum nutrimento vixêre: & quia ſeruos & ancillas non habebant, patet quod ipſi cum filiis & filiabus ſuis propriis manibus operi ruſtico inſeruierint. Lamech cùm genuit Noë, prædixit. *Iſte conſolabitur nos ab operibus & laboribus manuum noſtrarum, in terra cui maledixit Dominus.* Ex quibus verbis multi opinantur, Noë inueniſſe aratra, iiſque per boues attractis terram proſcindere cæpiſſe. Certè multò diligentiùs, quàm ante diluuium, terram coluit; quia diluuium ſua ſalſedine priorem terræ pinguedinem & bonitatem exſuxerat. *Cæpitq; Noë vir agricola exercere terram.*

Primi parentes, agricolæ.

Gen. 5:29.

Gen. 9:20.

De glorioſis illis viris Abraham, Iſaac & Iacob, ſcriptura dicit, illos reditus non habuiſſe, nec in ciuitatibus, villis ac domibus habitaſſe, ſed tanquam peregrinos in caſulis ſuper faciem terræ, & de agricultura & animalibus vitæ neceſſaria quæritaſſe.

Primi Patriarchæ de terra & animalibus vixerunt.

Filij Iacob Pharaoni dicebant: *Paſtores ouium ſumus ſerui tui, & nos, & patres noſtri.* Et notanter de vno eorum dicitur: *Iſſachar aſinus fortis.* Hanc aſini fortitudinem aliqui Rabbini transferunt ad

Gen. 47:3.

Gen. 49:14.

ad laborem legis, & aiunt, ſtudio eius addictam eam tribum imprimis fuiſſe. Hæc interpretatio reiicitur; quia tribus Leui potiùs in doctrina & ſtudio legis excelluit. Sed meliùs dicetur ſignificari, quod tribus Iſſachar ſe dederit tolerandis laboribus agriculturæ, cuius ſymbolum aſinus eſſe poteſt. Iſſachar aſinus fortis, quia ad labores & onera perferenda eſſet futurus idoneus & robuſtus. Hinc in Hebr. vocatur aſinus oſſeus; quia in oſſibus vis & robur ſuſtentandis oneribus obeundiſque laboribus præcipuè conſiſtit. Hunc ſenſum probat quod ſequitur; *accubans inter terminos*: quia Iſſachar hinc mare mediterraneum, inde mare Galilææ habuit, quod etiam mare Tiberiadis, & ſtagnum Genezareth dicitur. Inter hos terminos continuit ſe, cùm vidiſſet, *requiem quòd eſſet bona, & terram quòd optima*. ſcilicet cùm agnouiſſet eſſe conſultius arua ſua colere, quàm per maria & oras exteras ire: ſicut eas aditura prædicitur tribus Zabulon, cui ager minus fertilis obuenerat, vt debuerit ideo mercaturam exercere. Suppoſuit tribus Iſſachar humeros ſuos, cùm ad maritimam propinquam oram fruges terræ ſuæ aſportauit, ibique maiore lucro diſtraxit: ſed tamen facta eſt tributis ſeruiens; quia reges ab ea copioſius tributum exegêre, tanquam à ditiore. Interim aduerte, quòd laboris neceſſitas inter benedictiones cenſeatur hoc loco, vt adnotat Sylueſter Petra ſancta.

Tribus Iſſachar laboribus dedita.

Quibus locis ſe continuerit.

Labor pro benedictione imponitur.

*In ſuis metaph. centuria 1.*

Gedeon vir fortiſſimus purgans frumenta in torculari, ducatum populi ſuſcepit, & hoſtes Dei proſtrauit. Booz *aream hordei ventilat*. Eliſæus, *in duodecim iugis boum arantibus vnus erat*. Amos de paſcuis in prophetam aſſumitur.

*Iud. 6: 11.*

*Ruth 3: 2.*

*3. Reg. 19. 19.*

X.

Ab aliis etiam gentibus hæc ars plurimum adamata. Phryges tanto ſtudio agriculturæ incumbebant, vt ſi quis inter ipſos bouem aratorem occideret, aut inſtrumentum quodpiam ad agriculturam aptum furto auferret, morte puniretur. Lege Kennethi Scotorum regis, ſemina niſi nociuis granis munda, terræ mandari vetabantur. Qui ſua culpa agros fertiles nociuis herbis labefactari permitteret, ob primam culpam boue vno mulctabatur, ob ſecundam decem, ob tertiam agris ipſis pellebatur. Piſiſtratus Athenienſis non patiebatur quidquam agrorum manere incultum, omnes otio deditos compellere ſolitus ad agrorum culturam, quibus etiam, ſi media non ſuppeterent, boues qui aratro iungerentur, & ſemina communicabat. Pertinax

Occidere bouem, aliquod inſtrumentũ auferre, morte punitum.

*Hector Boeth. l. 10.*

Pœna eius qui malum ſemen iacit, & eius qui zizania agrum vitiari ſinit.

*Ælia. var. hiſt l. 19.*

Ad agros colendos diligentia Piſiſtrati.

Libertas agricolis conceſſa.

nax Imp. quidquid inculti ſoli vacabat, occupantibus adiudicauit, decemque annorum immunitatem ac perpetuam libertatem agricolis conceſſit.

Campiniēſium in Brabantia ſolertia & labor.

Brabantia noſtra, ex ſterili & arida mericâ, ad fertilitatem perducta eſt incolarum induſtriâ, & laboris aſſiduitate, præſertim ea regionis pars, quam Campiniam vocant: vbi in mediis mericis, è quibus pleræque ad plura paſſuum millia extenduntur; videre eſt agros frugibus luxuriantes, ſola culturæ aſſiduitate fertiles redditos: incolas labori deditos, ab omni luxu alienos, paucis contentos, ingenio tamen ad inſtar agrorum, ſi quando excolitur, viuaci, & ad quaſuis diſciplinas capeſſendas habili & idoneo. In hac arte varij operarij laborē ponunt, ſcilicet hortulani, vinitores, olitores, arborarij: alij agros arant, paſtinant, putant, fodiunt, formant, defendunt, dimetiuntur, &c.

XI.

Quænam laboranti in ſuo opere conſideranda.

Iam verò, vt prædictorum omnium aliorumque opificum labor ſecundum Deum, & fructuoſus eſſe poſſit, plura vnicuique in ſuo opere conſideranda.

Laborandū diligenter.

Laborem comitatur vtilitas.

I. Vt quiſque in ſua arte diligenter & ſtrenuè ſe occupet. Labor ſiquidem vegetat corpus æquè ac animum. vt vmbra corpus, ita vtilitas laborem animi aut corporis comitatur. Si nucis nucleum vis edere, frange nucem: ſi commodum quæris & robur, ne fuge laborem. *Dulcis eſt ſomnus operanti, ſiue parum, ſiue multum comedat*, ait Salomon. Multi multum dare vellent, ſi nocturna quiete frui poſſent: qui honeſto aliquo exercitio & moderato labore de die ſe occupat, ille noctu dulciter obdormit, & mane incolumis ad reliqua ſubeunda conſurgit. Quoad animum, labor vitia excludit & virtutes inſerit, ſcilicet innocentiam, patientiam, fortitudinē. labor parit heroica opera. S. Dominicus Loricatus, cū peteretur quomodo ad tantum vitæ rigorem veniſſet, reſpondit: Labor laborem adeſcat, vigilias vigiliæ pariunt. ita etiam v.g. qui laborat vt vnum præceptum ſeruet, Deus illi quaſi præmij loco concedit, vt & alia obſeruare poſſit.

*Eccl. 5:11.*

Labor virtutem parit.

S. Dominicus Loricatus.

Fideliter laborandū.

*Serm. in ſeptuag.*

An diues laborare teneatur.

II. Debet fideliter laborare, & ſine fraude. Ioann. Gerſon. quæſtiones has proponit, An ſcilicet perſona Burgenſis obligetur laborare, ſi ſatis habeat vnde viuat? Reſpondet: Omittit laborem & lucrum, aut ad liberiùs Deo ſeruiendum, aut ad quietiùs viuendum in huius mundi delitijs, vti ſtultus ille qui de horreis diſponens eadem nocte à Iudice vocabatur: aut ex debilitate complexionis, aut ex

 igno-

ignorantia, aut quia non ſcit aliquod opificium. Primum poteſt fieri, non ſecundum: tertium & quartum regulariter fieri poſſent, ſi otium non traheret hominem ad peccatum, vt tam facilè fit, præſertim in iuuenibus: ideo peccant parentes qui non docent pueros laborem hoc vel illo modo.

An quis mendicare poſſit, qui poteſt laborare.

Secundò; An aliquis fortis exiſtens, & qui victum lucrari queat, mendicare poſſit? Reſpondet, quod niſi bonus finis excuſet hominem ſic mendicantem, mendicitas talis ſit peccatum, & quaſi furtum: nam intentio dantium eſt quod pauper ſit & impotens: quod cùm non ſit, rapit ille quod pauperi debetur. Addit, niſi bonus finis excuſet: quia poteſt aliquis habere intentionem, qualem habere debent religioſi mendicantes, ſcilicet ad oſtendendam humilitatem, aut obediendum ſuperioribus mendicitatem pro neceſſitate iniungentibus.

Mercenarij non laborantes pro poſſe ſuo, vt peccent.

Tertiò; Num peccet operarius ſi fingat ſe laborare, & non laboret pro poſſe ſuo? Reſpondet, eum ſatisfacere, ſi faciat ea quæ plerique ex æquo faciunt: ſuppoſito quòd ſolùm ſibi parcat ob bonum corporis ſui. Si ſibi parcat ad ieiunandum, melius orandum &c. & ob hoc opus notabiliter minuatur; habet deuotionem ſine diſcretione, & peccat. Sūt inter infideles operarios, qui mercedē communē & competentē excedant; & interim minus quandoque ditantur qui plus accipiunt: alij conſuetum quidem pretium capiunt, ſed infideliter laborant: alij dum laborant ſimul iuſtitiam deſerunt, & de alieno quidpiam ſuffurantur. Neſcio quinā in hoc mundo magis infelices eſſe queant, quā qui in ſudore vultus ſui laborando peccant, & pro mercede ad inferni piſtrinum detruduntur.

Infideles operarij.

XII. Laborandum cum patientia.

III. Patienter, & cum cordis tranquillitate laborandum. Multi infelices ſunt, qui cum impatientia, nimia auaritia, inuidia, vel corrupta intentione vires ſuas fruſtra conſumūt. Cogitent fideles operarij, ſe conſtitutos in pœnitentia Adæ & totius generis humani, quā iubetur, in ſudore vultus pane ſuo veſci: adeoque neceſſe eſſe per laborem neceſſaria quærere. Nec dubitent per laborem cælum acquirere, modò debitè impendant. Neque minimæ ſortis operarij, viliter de ſe ſentiant, modò bene laborent, etſi forſitan in hoc ſeculo à quibuſdam deſpiciantur. Deus enim pro illis homo factus, non vt glorioſus, diues, ac præpotens ad nos venit, ſed opprobrium hominum & abiectio plebis, factus per omnia ſimilis illis, & plus

Deus pauperes laborantes elegit.

quàm

quàm illi pauper & deſpectus. Non palatia regum, non aulas principum, non caſtra nobilium, non delicata cubilia ciuium, ſed pauperculum elegit ſtabulum: ita pauperes, glorioſi contribules angelorum, & prænobiles ſummi regis hoſpites fuere. Hæc, aliaque pauperculis fructuoſè inculcari à concionatoribus poſſunt.

Diebus feſtis non laborandum.

IV. Diebus Dominicis & feſtiuis bonus operarius ab opere abſtineat, iiſque Domino deuotè & quietè ſeruiat: vt ita recuperare poſſit quod in hebdomade per manualem laborem fortè neglexerat. Qui contrarium faciunt, à Deo puniuntur: tum, quia ex eo nõ ditãtur; & ſi quid in temporalibus lucrentur, in ſpiritualibus longè plura perdunt, & ſæpe ex Dei permiſſione grauia damna temporalia incurrunt: tum etiam quia fit vt per menſes aliquot infirmentur, vt crus aut brachium frangant, &c. atque adeò pro vno feſto forſitan violato, iam plura peragere cogantur, cùm laborandum eſt: denique puniuntur in anima per peccatum.

Feſta violantes variè puniuntur.

Licita & vtilia fiant.

V. Fidelis operarius in iis laboret, quæ ſunt ad vſum licita & vtilia: eademque ſolùm iis vendat, qui licitè vti volunt.

XIII. Cum labore bona intentio iungenda.

VI. In omnibus bonam intentionem ſibi formet, quæ minimum quidem eſt in opere, ſed maximum in remuneratione. Multi in ſuo labore nec bonum, nec malum intendunt: illicitum non operantur nec indebito modo, nullam tamen bonam intentionem habent, & de his verum eſt illud: *Nihil habet homo iumento amplius.* Verùm vnuſquiſque laborare debet vt iuſtè acquirat vnde viuat, ſe ſuoſque honeſtè ſuſtentet, vt habeat quod aliis tribuere poſſit neceſſitatem patientibus, &c. Intentionem ſuam hoc aut ſimili modo quotidie ad Deum referre poterit: Gratias tibi ago Domine creator meus, qui me vſque in hanc horam miſericorditer ſeruaſti, & vires tribuiſti cum bona voluntate, vt iuxta præceptum tuum in ſudore vultus mei veſcar pane meo: rogo te ex toto corde, vt dirigas me in operibus meis ſecundum præcepta tua, & intentionem cordis mei ſurſum trahe, vt ſint mihi labores huius peregrinationis in remiſſionem peccatorum, & meritum vitæ æternæ. Amen.

Eccli 3: 19.

Modus formandæ intentionis.

Quænam in vno quoque opere proponi poſſint.

Plura etiam in vnoquoque opere intendere poteſt: vt ſcilicet gratus ſit pro beneficiis acceptis, vt ſatisfaciat pro peccatis, vt in melius conuertantur mali Chriſtiani, hæretici, infideles, vt ſolatium habeant animæ purgatorio detentæ; ad concordiam

principum Chriſtianorum, extirpationem hæreſum, & exaltationem S. Eccleſiæ, &c. Hæc aliaque ſimilia ſi quis ſibi mane proponat, omnia opera etiam indifferentia, quæ facturus eſt, meritoria efficiet.

Opera indifferentia, quomodo meritoria.

Poſſet quis dubitare, num pro operibus indifferentibus in alio ſeculo mercedem ſperare debeat, eò quòd pro mercede non videantur fieri, & differre videantur ab aliis operibus, quòd alia opera tam charitatis ſpiritualis quàm corporalis pro mercede fiant alterius ſæculi; hæc ideo videantur fieri vt in hoc ſæculo viuatur. Verùm actus illi, quia debitas habent circumſtantias, facti vt oportet, quando oportet, in quibus oportet, cum intento fine debito, Dei ſcilicet honoris, ſuæque ſalutis; omnino meritorij eſſe debent. Vnde eremita quidam in vitis Pp. cùm longiùs à cella cum labore aquam quæreret, & ideo propius fontem migrare cogitaret; videns quodam tempore angelum hominis ſpecie ipſum ſequentem, & omnes paſſus eius numerantem, vt pro ſingulis à Deo mercedem reciperet: egregium ſui laboris ſolatium in poſterum ſenſit. Quòd ſi calix aquæ frigidæ pro Deo porrectus non ſit ſine mercede; quid pro ſudoribus, frigoribus, vigiliis, neceſſitatibus, curis diurnis & nocturnis, aliiſque ſine numero miſeriis, quas fidelis operarius ſæpe ad decrepitam vſque ſenectutem tolerat, retribuetur? Ea certè præmia quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit: nihil quantumlibet modicum irremuneratum manebit, ſiue factum, ſiue patienter toleratum. Ob fatigationem corporis meretur ſuſtentaculum vitæ, & ob virtuoſam intentionem mercedem regni cæleſtis.

Angelus numerat paſſus ferētis aquam.

XIV. Non obeſt laicis, quòd ſublimia non ſectentur.

Nec eſt quòd contriſtentur laici, ſi ipſi; Paſtores, concionatores, alioſque animarum curæ intentos, & ſublimia opera exercentes ſequi non poſſint: agant ipſi pro modulo ſuo, certò recepturi ſecundum laborem ſuum. Nam & ſeruus ille qui quinque talenta lucratus fuerat, & ille qui duo, parem à Domino recepere ſententiam: *Euge ſerue bone & fidelis, quia in pauca* &c. Et Collat. Pp. narrant quòd dæmon quidā orationē ex præcepto abbatis Ioannis de corpore obſeſſo exire noluit, adueniente quodam fideli & laborioſo viro laico exiuerit. De quo cùm quidam admodum mirarentur, & vitam eius inquirerent, inuenerunt eum fidelem diuturnumque laborem cum oratione & diuina laude incipere & finire, decimas fideliter ſoluere, animalia ſua ſine aliorum damno cuſtodire, cum vxore

*Matth. 25. 21. 23.*
*Lib. 7: coll. 2.*

Dæmon alios contemnens, laici præſentiā obſeſſum deſerit.

vxore velut cum ſorore viuere. Quòd ſiquis alius ſimili modo Dei mandata ſeruando fideliter laboraret, non dubito quin & dæmones expellere, & alia miracula facere poſſet, ſi neceſſitas adeſſet.

Quidam opera laicorum cõuerſi.

Fuerunt alij, qui non quidem ſubtili doctrina quam non habebant, ſed verbis benignis & feruenti charitate alios ad Chriſtum conuerterunt. In Aleppo præcipua Syriæ vrbe, quidam laicus paucis abhinc annis duos Caluiniana hæreſi infectos ſermonibus & charitatis officiis reduxit, vt aures verbo veritatis aperirent, & ad Eccleſiæ ſinum recurrerent, vt refert F. Quareſmius. Maria quædam Luſitana ante 50. ferè annos pietatis ergo Ieroſolymis habitans, contracta cum Turcarum fœminis cõſuetudine, familiariter cum illis agebat, eaque occaſione ſecretò illis Chriſtum prædicabat, iiſdem in infirmitatibus & neceſſitatibus aliis ſubueniebat, & earum pueros quos mortem euadere non poſſe videbat, baptiſabat. ita ſuauiter plures Chriſto lucriſecit, tandem martyrium ſubiit.

Ab hæreſi reducti.

*In elucid. terræ ſanct. tit.1. lib.3. c.15.*

Mariæ Luſitanæ ſolertia.

Homiles ſæpe efficaciùs docent quàm concionatores.

Simplices & parui in oculis ſuis, orationibus & ſuſpiriis fortè multò plures ad fidem & ſalutis ſemitam trahunt, quàm inflati & elati rhetores Eccleſiaſtici, pietatis operibus deſtituti, ſuis ornatis concionibus. Putat inſignis cõcionator aliquis quod ſuo clamore quoſdam conuertat, & fit ſæpe ſimplicium & humilium ſuſpiriis, vt verbum in eorum corde radices acceperit. In Germania nobilis quidam ſed hæreticus, inſignem quendam concionatorem & Theologum ad prandium inuitauit: poſtea diſputari cæptum. Qui ſocius concionatori aderat in angulum domus ſe recepit, Dominum rogans pro hoſpitis conuerſione, & auditus fuit. Nobilis, Theologi rationibus tandem annuit & fidem amplexus eſt: at Theologo confidenter dixit; Non tuis rationibus perſuaſus ſum, ſed iſtius ſimplicis laici exemplo motus ſum. Vides, etiam laicos in maximo illo lucrandarum animarum negotio à Deo cooperatores adhiberi.

Hæreticus cuiuſdam laici bono exemplo conuerſus.

XV. Boni operarij Clerum diligant, non detrahant.

Felix profectò eorum labor, ſi cum ſudore ſpiritualia quoque exercitia coniungantur, & cum ſtrenua manu vita piè inſtituta. Ad quod, hæc præcipuè illis obſeruanda. I. Vt Clerum diligant & venerentur, tam verbis, quàm exteriori obſeruantia. Si quis inter eos vitæ minus probatæ fuerit, eum tamen non iudicent, tanquam Dei nuntium eiuſque vicarium, ſecundum illud: *Diis non detrahes, & principi populi tui* non

Exo.22:28.

*non maledices.* Si enim detractio de quolibet proximo graue peccatum eſt, quantò magis contra Dei vicarios? I. Buſæus narrat quod ipſo viuente contigit. Aurifaber, quidam cõtinuò presbyteris detrahẽs, à quibuſdã monitus eſt, vt linguam corrigeret, ne (quod talibus communiter accidit) in hora mortis ſacerdotis aduentu indignus fiat. Id ille paruipendẽs, primò vxoris ſolatio priuatus quæ cum illo habitare noluit, deindè ad opus ſedens, ſubitanea morte vitam finiuit. Imò qui Clericorum vitia non occultat, quantum in ſe eſt, Deum inhonorat. Nam ob reprobam vitam Chriſtianorum, nomen Domini blaſphematur inter gentes, teſte Paulo: ita ob peccata virorum ſpiritualium Dei nomen blaſphematur inter Chriſtianos, & populus ſcandaliſatur: itaque qui ea publicat, ruinam populi, & dehonorationem diuini nominis procurare conuincitur. Sacerdotes non ſolùm venerentur, ſed etiam ex animo diligant: quia ſi ſummi benefactores ſummè diligendi ſunt; conſtat quod illos quorum miniſterio à poteſtate dæmonum liberamur & Deo reconciliamur, ſummè poſt Deum diligere teneamur.

*Tract. de regim. ruſticorum.*
Detractor punitus.
Cleri vitia non celans, Deum inhonorat.
*Rom.* 2:24.
Cur ſacerdotes diligendi.
Decimæ ſoluendæ. Eius rei ratio.

II. Vt decimas fideliter ſoluant. Nam egent miniſtris Eccleſiaſticis qui eos doceant, & Sacramenta adminiſtrent: & quia illi quotidiano victu & veſtitu egent, nec poſſunt ſimul carnalibus & ſpiritualibus intendere, inſtituit Deus, vt decima pars eorum quæ terra profert & humano ſudore proueniunt, miniſtris Eccleſiæ tribuatur. Item, quia pro agricultura exercenda temporalis pax eſt neceſſaria, ideo etiam debent terrenis principibus.

III. Vt cum omnibus pacem ſeruent, *cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes inuicem in charitate, ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.* Quòd ſi pax interrupta fuerit, citiùs ad eam reparandam feſtinetur, ne ſi tardior mora fiat, diuina præſentia ab illorum moribus ſe ſubtrahat. Non licet malum pro malo reddere, ſed in bono malum vincere præcipimur, vt ad tempus patienter iniurias feramus, aut blandè leniterque reſpondeamus, ne proximum noſtro furore peiorẽ faciamus: & ſi quis modò nolit tolerare verba, poſtea inter ardores ſempiternos tolerabit duriſſima verbera. Iniuriam ergo potiùs accipiant quàm reddant, conſiderantes quod è mutua contentione infinita peccata oriantur. Pacem diligant, vt Deus pacis cum illis permaneat, & de pace terrena

XVI. Pax cum omnibus ſeruanda. *Epheſ.* 4:2.

terrena ad æternam tranſeant.

Familia piè inſtituenda.

IV. Familiam quiſque ſuam laudabiliter regat. Videant patresfam. ne ſint reprehenſibiles, fidem coniugi ſeruent, ſobrij, prudentes, modeſti, non vinolenti, non litigioſi, non bilingues, non turpe lucrum ſectantes, non inhoneſta loquentes. Vxor virum honoret, domum prudenter regat, ſeipſam irreprehenſibilem exhibeat. Hoc modo ſpes erit de vtili regimine rei familiaris, aliàs non. Filios piè inſtituant in diſciplina & correptione Domini. Prouideăt vt famuli & famulæ Deum timeant, & in præceptis eius ambulent: nec in domo ſua eos ſuſtinere debent, ſi in peccatis mortalibus, maximè publicis, viuere non formident.

Deum ſibi proponant.

Denique laborent cum timore Domini, & ſæpius ad memoriam reuocent ſe à Deo vbique videri, multò clariùs quàm ab aliquo homine, coram quo tamen peccare erubeſcerent. Seruiant Domino in veritate, inquirendo vt faciant quæ placita ſunt illi. qui pauperes ſunt, multa bona habebunt ſi timuerint Deum, & receſſerint ab omni peccato & fecerint benè, omneſque pia intentione laborantes, poſt hanc laborioſam vitam expectent mercedem fidelibus operariis repromiſſam.

*Tob.*14:10.

*Cap.*4: 23.

CA-

# CAPVT VIII.

## Labor Feruidus.

### *SVMMARIVM.*

*I. Negligentibus olim pœna iniuncta. Laertis labor, & fratrum Domini. labor ſanitatem tuetur, diuitias auget: C. Furij lepidum maleficium.*

*II. Inertes mancipia fiunt; ſtrenui, domini: iuſti aliis præſunt, paſſionibus imperant, mali diabolo tributum pendunt. tepiditas in bono quanta mala adferat.*

*III. Continuum exercitium dat robur: feruidus occaſiones boni obſeruat: Deum timens ardua aggreditur, quid in opere noſtro requiratur.*

*IV. Feruor quantum boni efficiat: is notatus in Abrahamo, & aliis. feruidi ſignati in Cherubinis ſuper propitiatorium.*

*V. In virtute quidam currunt. quidam ambulant: feruidus laborem non ſentit, duplex rei cauſa: iuſti cum diſcretione currunt.*

*VI. Primitiuæ Eccleſiæ feruor: vt nunc charitas refriguerit: S. Pauli zelus.*

*VII. Intēpeſtiuæ Carthaginenſium lacrymæ ab Annibale deriſæ, nos magis ridendi. pro virtute feruor exigitur qui in corporali labore adhibetur.*

*VIII. Tempus breue & incertum, redimi debet. pigri coram Deo vt acetum dentibus; & fumus oculis. querela Crucifixi de tepidis. tempus noſtrum definitum: quid de eo S. Michtildi reuelatum.*

IAm verò vt quiſque laborantium debitum laboris fructum aſſequatur, neceſſe erit, vt magna cum diligentia, ſollicitudine

I. Negligenti operario pœna iniuncta.

tudine curaque opus ſuum exequatur, ſiue corporale ſpectes ſiue ſpirituale. Quoad laborem corporalem; Lex quondam erat Thebis, præcipiens artificibus, tum pictoribus, tum figulis, vt imaginũ formas, quoad poſſent, optimè exprimerẽt: iis qui deteriùs aut finxiſſent aut pinxiſſent, mulcta pecuniaria irrogabatur. refert Ælia. Laërtes cùm vigente adhuc ætate, plurimum ſemper & feruidè diuerſis laboribus corpus exercuiſſet, iam grauis annis etiam laborans inuentus eſt à filio Vlyſſe domum reuertente.*a* Apud Euſebiũ *b* habemus, quòd fratres Domini coram Domitiano vocati, vti ex ſtirpe regia Dauid, quam extinguere ſtatuerat; cùm manus oſtenderent partim obtritas callis, partim laceras mechanico labore, à rerum nouarum ſuſpicione liberi ſint dimiſſi. Ethnicus ille princeps non abſurdè iudicabat, nihil ſibi aut reip. metuendum eſſe ab iis, qui manuum labori tam ferventer inſiſterent.

*Var. hiſt. lib.* 4. Laertis labor.

*a Idem l.* 7. *b Lib.* 5. *hiſt. c.* 15. Strenuè laborantes à mala ſuſpicione liberi.

Labor ſanitatem tuetur. *Eccli.* 31:27.

Labor ſtrenuus corporis ſanitatem tuetur, teſte Sapiente.: *In omnibus operibus tuis eſto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi.* Monet, vt in omnibus quæ agenda incumbunt, homo non ſit torpidus, piger, negligens; ſed diligens & ſtrenuus: ſicque futurum promittit, vt non facilè accidat ei quæuis infirmitas; ſignificans pleroſque morbos ex deſidia oriri & nutriri. Ea enim melancholiam nutrit, vireſque corporis eneruat: cùm contrà, diligentia in agendo quæ cõiuncta eſt promptitudini & alacritati animi; pellat mœrorem, valetudinemque conſeruet. Ita ſenſus loci: Eſto diligens & alacer in operibus tuis; quia diligentia, labor & exercitium valetudinem tuentur; torpor verò, otiũ, & deſidia generat morbos.

Ex otio, morbi.

Denique labor diligens rem familiarem auget: Ita narrat Plin. de quodam C. Furio, qui cùm in paruo admodum agello largiores multo fructus perciperet, quàm ex ampliſſimis vicinitas; in inuidia magna fuit, ceu fruges alienas pelliceret maleficiis. Quamobrem ab Albino curuli die dicta, metuens damnationem, cùm in ſuffragium tribus oporteret ire, inſtrumentũ ruſticum omne in forum attulit, & adduxit filiam validam, atque bene curatam ac veſtitam, ferramenta egregiè facta, graues ligones, vomeres ponderoſos, boues ſaturos. poſtea dixit: Maleficia mea, Quirites, hæc ſunt: nec poſſum vobis oſtendere aut in forum adducere lucubrationes, vigiliaſque & ſudores. adeoque omnium ſententiis abſolutus eſt.

Labor diuitias auget. *Lib.* 18. *c.* 6. C. Furius vt ſe à maleficij crimine purgarit.

Prou.12:24.

Adeò verum dixit Salomon. *Manus fortium dominabitur: quæ autem remiſſa eſt, tributis ſeruiet.* Fortes, diligentes, ſtrenui, virtute ſua ſibi opes parant, dominium, imperium: ſed ignaui & pigri à fortibus ſub iugum mittuntur, fiuntque eis tributarij: hinc fit vt ſtrenui poſt laborem in opibus ſibi partis conquieſcant, viuantque quietè ex aliorum labore; pigri verò poſt otium & inertiam, laborem quem fugerant amplecti coguntur, vt cenſus & tributa ſoluant. Ita Romani ſtrenui, maiori orbis parti dominati ſunt; Græci, Aſſyrij, Perſæ in luxum & ſegnitiem degenerantes, ſub iugum miſſi.

II. Inertes mancipia fiunt, ſtrenui dominantur.

Quòd ſi hæc accipere placeat de dominio & ſeruitute ſpirituali, veriſſimum eſt, & ſenſus erit: Qui fortes ſunt in operatione virtutum, hi ſolent præfici aliis, & præeſſe etiam appetitui ſenſitiuo eiuſque paſſionibus imperare: ſed ad virtutem pigri & remiſſi implentur peccatis, & dæmoni ſeruiunt, cuius exactioni ſeu tentationi dant aſſiduè pro tributo conſenſum in malo; hinc perenne tributum laborum & dolorum in inferno pendent. Væ manui remiſſæ quæ egeſtatem ſibi parit & ſeruitutem, dum operandi negligentia, vitia ex tepiditate manantia fouendo, bonos mores prius acquiſitos attenuat! Etenim opera tepida. 1. Deum non placant. 2. angelis & ſanctis ſtomachum mouent. 3. dæmones ad riſum & contemptum prouocant. 4. operantem non perficiunt. 5. maiorem indies difficultatem benè operandi inducunt. 6. tempus ſine fructu conſumunt.

Iuſti, quia diligentes, præſunt aliis, & paſſionibus imperant.

Peccatores dæmoni ſeruiunt, & tributum pendunt.

Tepiditas in bono quantum malum adferat.

Ideoq; monemur ignauiam à nobis repellere: *Si deſperaueris laſſus in die anguſtiæ, imminuetur fortitudo tua.* Vbi præter varios variorum ſenſus quidam putant, Salomonē ſuadere continuam laboris & pugnæ exercitationem. Vt milites robuſti fiunt quotidie arma tractando, laborando, pugnando; infirmi verò & inertes ſi arma ponant vacentque otio: ita robuſtus fit qui aſſiduis laboribus & dimicationibus contra vitia ſe exercet, debilis qui quieti & ignauiæ vacat. Rem confirmat quod dicit: *Anima operantium impinguabitur.* q. d. Strenui & ſeduli, cùm opes, ſapientiam & virtutes volunt & concupiſcunt, non diu deliberant quid facto ſit opus, ſed illicò manum operi admouent, & ſtrenuè laborando parant ſibi opes & virtutes concupitas, iiſque impinguantur, id eſt, implentur, ſatiantur, abundant.

Prou.24:10.

III. Continuo exercitio magis magiſque roboramur.

Cap.13:4. Peruidus, occaſiones boni obſeruat.

Rem theſauri ſimilitudine aſtruit Nyſſ. de beatit. *Si quis auri cupidus*

Theſaurum inueniens, non quie-

*cupidus in literas incidat, theſaurum alicubi indicantes; locus autem qui theſaurum continet, multum ſudoris ac laboris oſtendat iis qui eius rei cupiditate trahuntur; nunquid oblangueſcet, & nullum laborem in hoc ſtudio dulcedo diuitiarum faciet ipſum exantlare? Non ita ſe res habet: ſed & amicos ad hoc conuocabit, atque vndiq; ſibi accerſens auxilium, multitudine manuum abſconditas ſibi diuitias comparabit.* (ſcit, donec acceperit.)

(Deum timiens ardua aggreditur. *Eccl.*7: 19.) Hoc eſt nempe quod dicitur: *Qui timet Deum, nihil negligit*, q. d. Non eſt tardus aut piger, ſed ſedulus & alacer, vt omne opus arduum aggrediatur. quia forti animo eſt, difficultates, tentationes & tribulationes non fugit, ſed intrepidè obuiam procedit, vincit, ſuperat. (*Sap.*10:12.) *Certamen forte dedit illi, vt vinceret.* diligens nulli parcit ſtudio, labori, tempori; ſed quod res poſcit, illi impendit. (*Eccl.*9:10.) Et iterum: *Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare.* (Quid in opere noſtro requiratur.) Quid eſt inſtanter? totis viribus, potentiâ, conatu. exigit voluntatis omniumque potentiarum & virium ſtudium & conatum, in operatione virtutum multarum & magnarum. 2. aſſiduitatem & perſeuerantiam, 3. feruorem. 4. ſollicitudinem & celeritatem. Ita Bonau. Hugo, & ex iis Cornelius. à mane vſque ad veſperam, ab infantia ad ſenectam bonis operibus ſtuden-dum, in iis ſeduli & ſolliciti eſſe debemus, eundo de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion. (Semper pro virtute laborandum.)

IV. (Feruidus, laborem non ſentit.) Hinc iam ſtrenuis operariis accidit, vt nunquam velut ſerui laborem ſentiant, ſed vt domini voluptatem habeant, etiam in morte & tormentis, vt patet in martyribus. Vnde Auguſtinus: (*Tract.*65.*in Ioan.*) *Quàm mirandi generis mors eſt, cui non ſatis fuit non eſſe in pœnis, niſi eſſet inſuper in delitiis!* Id adumbratum in Sampſone, qui ad dilectam ſuam Philiſthæam profectus leonem occidit, ac remeans (*Iud.*14:8.) in ore leonis inuenit fauum mellis: quia amor etiam difficillima facit mellea. (Feruidi quantum boni efficiant.) Strenuus operarius ignorantes docet, frigeſcentes accendit, puſillanimes roborat, ſibi nouos theſauros meritorum accumulat. Feruidi ſuâ vitâ iudicant tepidos, iudicant peccatores in Eccleſia, quos tacitè reprehendunt, & feruore ſuo ignauiam eorum accuſant, declarantes gratiæ vim, & Dei liberalitatem, & quod non Deo, ſed inertiæ ſuæ aſſignare debeant, ſi in peccatis ſint, aut parum proficiant in virtutibus: itaque iam quaſi ſententiam in eos pronuntiant, quam poſtea audituri ſunt.

(Feruor Abrahami.) Attendite feruidum Abrahamum, angelos hoſpitio excipientem. Ipſe vxori mandat: (*Gen.*18:6.) *Accele-*

*ra, tria ſata ſimilæ commiſce. Ipſe ad armentum cucurrit, deditq́ puero, qui feſtinauit & coxit illum.* Ecce, Abraham, feſtinat Sara, & puer, quia in domo iuſti nullus eſt tardus, piger, tepidus. Hinc eſt quod Verbum Incarnatum ſtatim Virginem impulit, vt montana conſcenderet. ideo vocatur: *Accelera ſpolia detrahere: feſtina prædari.* Feſtinat Dominus pro alio, cur non quiſque feſtinet pro ſeipſo? Feſtinant angeli ſalutis: nam & duo Seraphim qui ſtabant ſuper thronum ſedentis, duabus alis volabant. in quo celeritas ſignatur, & propenſio magna ad Dei iuſſa exequenda. In eiuſdem rei ſymbolum Dominus conſtituere præcepit duos Cherubinos expandentes alas ſuper propitiatorium: nam electi qui velut Cherubim ſcientiæ plenitudine habet, & ſicut Seraphim igne charitatis ſũt accẽſi, ad Dei obſequiũ, & ad pietatis opera alatos & ſedulos eſſe oportet.

Verbum Incarnatum feſtinat.

*Iſaia 8:3.*

Angeli feſtinant.

*Iſaia 6: 2.*

Cherubini ſuper propitiatorium quid ſignẽt.

Interloquatur R. P. Zacharias citatus ab Anacleto Sicco in ſua Hymnodia, ita de vero feruore piè diſſerens: *Verus ſanctuſq́ feruor ignis eſt Patris, ſplendor Filij, ardor Spiritus ſancti. Abſque feruoris magnitudine, nullus apud Deum magnus eſſe poteſt, idcirco donum Dei eſt. Bonus feruor ſtimulus eſt perfectionis, bonæ augmentum voluntatis, firmitas votorum, perſeuerantiæ ſtabilitas. Veros feruidos valde timet diabolus, quia cogitur inuitus iſtis nouas ſemper adferre coronas. Qui de Deo conqueritur, quia ſibi non concedat hunc feruorem, blaſphemiam addit ſuæ peruerſæ diſpoſitioni. Auferas à te quæ ſunt contraria feruori, mentis nimirum cogitationes ſenſuumq́ delectationes, tunc Deus in te excitabit optatum feruorẽ.* Hæc ibi.

*Lib. 2. c. 6.*

Laus feruoris.

Qui eo caret de Deo non conqueratur.

De iuſtis dicitur: *Current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Plus videtur hîc promitti currentibus, quàm ambulantibus in via virtutis, ait Corn. plus eſt enim non laborare, id eſt, nõ ſentire laborẽ, quàm non fatigari, & ex fatigatione nõ deficere. Currentes enim ſunt feruidi, qui præ feruore curſus laborem non ſentiunt, quia eum amant & ambiunt: vbi enim amor eſt, non labor, ſed ſapor eſt. Ambulantes ſunt minus feruidi, qui proinde in operibus laborem ſentiunt, ſed ſuperant. Videmus iuuenes alacres & feruidos ſæpe in curſu, aliiſque laboribus ipſis gratis & iucundis non ſentire laborem; tum quia delectatio quam hauriunt pellit ſenſum laboris; tum quia ingenti animo, vi & ſpiritu cum capeſſunt. Hæc vis & ſpiritus, pondus laboris ita facilè ſuſtinet, vt vix ſentiat. Docet enim Ariſtoteles, vim motricem ſi magna ſit & efficax faciliùs mouere pondus alioqui magnum, quàm

*Iſaia 40: 31.*

Quidam currũt, quidam ambulant.

Feruor pellit ſenſum laboris.

quàm & virtus parua moueat pondus paruum : ita vir faciliùs portat onus decem librarum, quàm infans pondus vnius libræ. Curramus ergo in ſtadio virtutis, & magis proficiemus in ea, magiſque merebimur, & minus laboris ſentiemus.

Duplex cauſa cur feruidus laborem non ſentiat.

Ille qui exultauit vt gigas ad currendã viã a. currentibus magnam gratiam & ſpiritũ, magnos animos & vires quaſi alas aſpirat, qui omnẽ laboris ſenſum exſufflant. Deinde, feruentes non ſentiunt laborem vel moleſtiã, quia hæc in opere virtutis prouenit ex tentatione & reſiſtẽtia dæmonis, carnis aut mundi, quę omnes fugantur feruore; quia ad ollã ſuccenſã muſcæ non veniunt, ſed in tepida ſedet, vt dicebat quidam. Feruens ſi quid tepidiùs cœpit, feruentiùs proſequitur, ſicut palma vaſtior eſt in ſummitate, quàm eſſe cœperat ex radice. Semper inchoare ſe æſtimat, & idcirco infatigabilis in nouitate perdurat, ait S. Greg.

a *Pſal.* 18: 7.

*In Vitis Pp. lib.* 7. c. 27.

*Lib* 19. *mor. c.* 16.

Iuſti cum diſcretione curſum perficiunt.

Dicitur etiã non ſolùm quòd currãt, ſed etiã quòd ambulent; quia cũ diſcretione, ſecuritate & fructu currũt; ſẽper enim ambulãdo proficiunt. Curſus ſæpe inciditur, ambulatio cõtinuatur; ita ambulans quandoque præuertit currentẽ. *Subſtãtia feſtinata minuetur, quæ autẽ paulatim colligitur manu, multiplicabitur.* Feruentes ambulare (id eſt, proficere) dicũtur, dum in communi viuendi inſtituto conſtanter progrediuntur.

*Prov.* 13: 11.

Sed mirum eſt, quantum Chriſtianorum feruor deferbuerit, Hoc miſerrimo ſeculo, dum clarior quarumcumque rerum putatur cognitio, tamen tepidior cernitur actio : multorum linguæ magniloquæ, & manus otioſæ. Quantus feruor bonorum qui ante nos vixerunt! Erat primitiua Eccleſia charitate ornata, & velut fornax ſeptuplum accenſa : primi fideles vt carbones incenſi, quo nos accenderemur. Hunc ignem venit Dei Filius mittere in terram : & adhuc Spiritum ſanctum in ignis figura miſit ſuper Apoſtolos, verbis vt eſſent proflui, & charitate feruidi: idque in ſpiritu vehementi, vt tepor omnis exſufflaretur. Apoſtoli iam incenſi per totum orbem ſparſi ſunt: *Ignis à facie eius exarſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo.* Fundarunt Eccleſiam planè ignitam. *Erit domus Iacob ignis, & domus Ioſeph flamma*, ait Abdias.

VI. Primitiuæ Eccleſiæ feruor.

Apoſtoli alios incenderunt. *Pſalm.* 17: 9.

*Verſ.* 18.

Felix æuum, quando multitudinis credentiũ erat cor vnum & anima vna: ardentiſſima Sacramentorum frequentia, ſumma ergà Clerum reuerentia, aſperrima tam priuata quàm publica pœnitentia, vita cuiuſque ſine offendiculo aut querela. Nunc charitas refriguit, quando

Vt charitas refrigueriт.

etiam inter fratres frequens eſt diſcordia: quàm eſt remiſſus & flaccidus Sacramentorum vſus! Viri Eccleſiaſtici in horis perſoluendis, laici in piis & quotidianis ſuis exercitiis, id vt plurimùm agere videntur, vt propoſitum ſibi penſum ſoluant, aut conſuetudini inſiſtant; non verò; vt quod dictat lingua, teneat affectus. Olim plerique Chriſtiani pro paruis exceſſibus magnas pœnitentias cum gaudio aſſumebant; quas nunc plerique pro maximis ſceleribus ſibi imponi nollent. Olim Paulo ſtomachum mouit quòd tota Corinthi Eccleſia vnius peccatum non ſatis (vt ipſi videbatur) deploraſſet, & conqueritur; *Et vos non magis luctum habuiſtis vt tollatur de medio veſtrûm qui hoc opus fecit.* Nunc verò nec pauci pro innumeris peccatis gemunt.

S.Paulus vult totam vrbem de vno peccato amarè flere. 1.Cor.5:2.

VII. Intempeſtiuæ Carthaginenſium lacrymæ.

Poſtquam Carthago à Romanis variis fuit tribulationibus ſubiecta; dies primæ ſolutionis faciendæ venit, & magnus fletus factus eſt omnium ciuium, quia vnuſquiſque ad ratam tenebatur penſionis. Nō potuit Annibal riſum effuſum continere, licet adeſſent viri primarij ciuitatis, quorum vnus eum reprehendit, quaſi de re, loco; cauſæ & tempori parũ opportuna. at ille ſubridens, reſpondit, ſe non ridere ex lætitia, ſed ex irriſione, quia videret lacrymas hominum importunas: plorabant enim leuiſſimum damnum priuatum, cùm antea nullus lacrymarum ſenſum oſtenderet, quando mala grauiſſima publica imminebant, cùm eorum claſſes deiectæ, exercitus trucidati, arma & ſpolia ampliſſima capta audirentur, cernerentur. Magis nos à cæli ciuibus irrideri poſſumus, cùm nos vident ob modicam rei perituræ iacturam madidos oculos circumferre, & interim ſiccis oculis in delictis volutari.

Ab Annibale derideantur.

Nos magis ridendi.

Non putemus, Deum minorem à nobis conatum exigere in labore ſpirituali virtutumque exercitio, quàm à multis in labore corporali cernimus adhiberi. Miles ad nutum ducis, imperterritus in pericula ruit: nauta ne vaſto mari abſorbeatur quanta ſedulitate ac diligentia cuncta exequitur? domus incenſa ſi latius incendium minetur, quàm trepidè concurrunt homines vt extinguatur? Hæc aliaque ſimilia meritò nos confundant. Certè, Paulus non ſolùm monet, vt filios lucis ambulare, ſed etiam currere donec comprehendamus. quid eſt currere, niſi impetum, feruorem, diligentiamque adhibere?

Meritò pro virtute feruor exigitur, qui in corporali labore adhibetur.

VIII. Tempus quia breue & incertũ, à nobis redimi debet.

Tempus breue eſt, & præſens periculum ne tenebræ nos comprehendant, & nox triſtis ac æterna

terna in qua nemo poteſt operari: ſi tempus quibuſdam longius conceditur, pluribus adimitur, irruente morte priuſquam languida voluntas bonumque propoſitum ad effectum perducatur. Ad exiguum nomen, aut alicuius perſonæ gratiam promerendam, eo impetu multi feruntur, vt nec expenſis nec labori parcant; nobis longè feruentiùs iis incumbendum, vnde ſalus & æternæ gloriæ incrementum pendet. Redimamus tempus, quoniam dies mali ſunt, & quod ſocordia hactenus perdidit, feruor recuperet. Aderit Dominus ſe quærentibus, qui ad eum finem commodiſſima & dulciſſima ſalutis inſtrumenta miniſtrat, occaſiones apertiſſimas & ineuitabiles ingerens, minatur ni pareamus, inſtat & vrget; ſe vndique nobis auxiliatorem fore ſpondens.

*Conatum noſtrum iuuat Dominus*

*Prou. 10:26.* Væ, tepidis & pigris! nam *ſicut acetum dentibus & fumus oculis, ſic piger his qui miſerunt eum.* Arida illorum opera eum ſtuporem quaſi Dei dentibus immittit, vt euomere cogatur: & ſi natura eius permitteret, à benedictis oculis eius plures lacrymas inertia noſtra eliceret, quàm fumus denſiſſimus in cuiuſuis æde cõmoranti. Eia piger, propone tibi Ieſum pro te crucifixum, totum ſanguine perfuſum, qui à planta pedis vſque ad verticem capitis ſanitate carens, meritò conqueritur, & dicit: Ego pro te ſanguinem & aquam ſudaui; tu pro me guttulam ſudoris emittere pro iuuando proximo reformidas: ego me infra angelos & homines vniuerſos humiliaui, tu mei cauſâ vel vni recuſares poſtponi: ego pro te vitam & animam dedi, tu vix pedem vltra debitum mei amore velles mouere: hoc ſcilicet meæ humilitati, obedientiæ, charitati rependis!

*Pigri corã Deo, vt acetum dẽtibus, & fumus oculis.*

*Querela Ieſu crucifixi de tepidis & pigris.*

Apud Dominum, omnia vitæ noſtræ momenta numerata ſunt: definitus eſt cuique vitæ mortiſque terminus, quo die quis naſciturus, quot annis victurus, quo die moriturus. O ſi ſciremus, quàm pauci dies & horæ nobis ſuperſint! quanta lucra ſingulis horis comparare poſſimus, actibus humilitatis, patientiæ, charitatis &c.! ô ſi ſciremus, poſt hoc tempus nec inſtans nobis fore! S. Mechtildis quodam die per reuelationem audiuit; Si ſcirent mortales, quantum quolibet die mereri poſſint, & coronam ſuam augere, exultarent mane in ſpiritu, & Deo gratias agerent, quòd dies ille illuxiſſet; refert Corn. qui & addit hanc orationem: Immitte, ô Domine Ieſu, in viſcera noſtra ignem, quem è cælo in terras

*Tempus noſtrum definitum.*

*Notabile quid S. Mechtildi reuelatum.*

*In Apoc. 3. 15.*

ras detuliſti, vt omnis noſter tepor fiat calor, omnis timor fiat amor, omnis mœror fiat ſplendor, omnis torpor fiat feruor. Amen.

# CAPVT IX.

## Labor Diſcretus.

### *SVMMARIVM.*

*I. Diſcretio virtutes moderatur. diei noctiſq; varietas ad quid ordinata. noctis tenebræ apta ſimilitudine declarantur conuenire.*

*II. Nunc laborandum, nunc quieſcendum. non omnibus eædem vires. corporis vires cum diſcretione metiendæ.*

*III. Ieſu Syrach monitum, quod minus laborioſum eſt, non eſſe aſſumendum. pænitentia Petri de Murhone, qui cælitus diſcretionis monetur.*

*IV. Indiſcreti feruoris mala.*

*V. Indiſcreti feruoris 12. ſtultitiæ.*

*VI. In Dei obſequio ſit mentis hilaritas, operis diſcretio, cordis compunctio. homo vndique ſale diſcretionis adhibito operetur.*

*VII. Diſcretio, quæ & quanta operetur.*

*VIII. Actus quinque diſcretionis; iudicatio, deliberatio, diſpoſitio, diſpenſatio, moderatio, quinque digitis manus comparati.*

CVm indiſcreta virtus pro vitio reputetur, vitiumque cenſeatur quidquid boni ſine
I. Diſcretio virtutum moderatrix. diſcretione geratur; feruorem noſtrum comitetur diſcretio, quæ vbique ordinem ponat, modum tribuat, decorum & perpetuitatem conferat: ea enim eſt moderatrix virtutum, ordinatrix affectuum, doctrix morum. Per hanc omnis labor, qualiſcumque tandem ſit cautè moderari

derari debet. Quoad corporis exercitia, prudenter monet S. Baſilius. *Præcipiunt diuina oracula vt laboremus, & corpus actuoſum motioniq; expoſitum habeamus, potiuſq; aliorum indigentijs ſubueniamus; quàm aliundè ipſi opem expectemus. Vt autem ipſum immodicis macerationibus extabefactum reddamus ac diſſolutum, hoc verò nullo modo.*

*In conſtit. monaſt. c. 5.*

Corpus exercendum, non perimendum.

S. Ioan. Chryſoſt. expendit Dei erga nos beneuolentiam in diei noctiſq; grata viciſſitudine: vt ſomnus ſcilicet per quietem vires corporis repararet, quas labor diurnus abſumit. *& Hibernis frigoribus longiora ſpatia noctium poſuit; vt prolixior requies intra tecta hominibus fieret, & laboribus ſpatia breuiora remanerent. Propter quod & conuenienter tempora hæc quæ ad requiem dedit, tenebris inuoluit.* quod appoſita ſimilitudine ita docet: *Sicut enim piæ quæque matres aut nutrices cum fortè natos ſuos ad quietem prouocant, in gremijs poſitos complecti brachijs, & ad ſe conſtringere, ac tunicâ operire faciem & oculos ſolent, vt obſcurior eis aër redditus, ſomnum per quietem faciliùs inuitet: ita & Deus tanquam velamen quoddam per vniuerſum mundum tenebras obducens, hominum genus ad ſilentium gratiſſimæ quietis inuitat.*

*t. 5. de compunctione cordis. l. 2.*

Diei noctiſque viciſsitudo ad quid ordinata.

Noctes cur ſint tenebroſæ.

Egregia ſimilitudo.

II.

Quãdoque laborandũ, quandoque quieſcendũ.

Poſt quietem, iucundius repetitur labor intermiſſus, & is vniuſcuiuſque viribus commenſuratus. Audiamus Thomam Kemp. *Fatigari labore communi, charitate ſuadente, vel obedientia dictante, inſigne virtutis eſt, meritiique non parui. Pauſare autem tempore competenti, & corpus reficere cibo, aut animam lectione ſacra inſtruere, vtriuſque hominis diſcretiua gubernatio eſt. Tolerabilis itaque defatigatio pro nomine Saluatoris, nec abhorrenda deuotis, cùm pro mundo fatigantur penè innumerabiles. Diſcretus tamen labor ſit ne corrumpat infirmum, aut ad diuina reddat ineptum.* Sic ille.

*t. 1. p. 2. medit. 19.*

Quanta autem virium ſit varietas, docet S. Baſilius loco ante citato, his verbis: *Inuenti nonnulli ſunt, qui in rebus grauiſsimi laboris perferendis nihil omnino graue pertuliſſe ſibi viſi ſunt, eaq; laxamenti loco potiùs quàm laboris habuêre, idque propter vegetam ac præduram, quæ illorum in corporibus ineſſet harmonicam temperaturam ac robur eximiũ. Verum enim quod hi tolerare facilè potuerunt, alijs cauſa fuit cur periclitarentur, quandoquidem ea nonnunquam in diuerſis corporibus diſſimilitudo reperitur, quæ inter æs ferrumve, ac arentia, ſiue ſarmentitia ligna. Quãobrem ita nobis amplectẽda continẽtia eſt; vt eam cũ viribus corporis cõmetiamur.* Et ſtatim: *Porrò modum vires corporis finient, ſi vid. neque leuiores quis labores ſuſcipiet, quàm quantis ferendis eſſe par poſsit: neque ſi ea item perſequi voluerit, quæ ſuſtinere ſe non poſſe intelligat. Siquidem huius rei quoque rationẽ haberi arbitror opor-*

Non omnes eaſdem vires habent

Vires corporis cum diſcretione metiendæ.



tere,

*non maledices.* Si enim detractio de quolibet proximo graue peccatum eſt, quantò magis contra Dei vicarios? I. Buſæus narrat quod ipſo viuente contigit. Aurifaber, quidam cõtinuò presbyteris detrahẽs, à quibuſdã monitus eſt, vt linguam corrigeret, ne (quod talibus communiter accidit) in hora mortis ſacerdotis aduentu indignus fiat. Id ille paruipendẽs, primò vxoris ſolatio priuatus quæ cum illo habitare noluit, deindè ad opus ſedens, ſubitanea morte vitam finiuit. Imò qui Clericorum vitia non occultat, quantum in ſe eſt, Deum inhonorat. Nam ob reprobam vitam Chriſtianorum, nomen Domini blaſphematur inter gentes, teſte Paulo: ita ob peccata virorum ſpiritualium Dei nomen blaſphematur inter Chriſtianos, & populus ſcandaliſatur: itaque qui ea publicat, ruinam populi, & dehonorationem diuini nominis procurare conuincitur. Sacerdotes non ſolùm venerentur, ſed etiam ex animo diligant: quia ſi ſummi benefactores ſummè diligendi ſunt; conſtat quod illos quorum miniſterio à poteſtate dæmonum liberamur & Deo reconciliamur, ſummè poſt Deum diligere teneamur.

*Tract. de regim. ruſticorum.* Detractor punitus. Cleri vitia non celans, Deum inhonorat. *Rom. 2:24.* Cur ſacerdotes diligendi. Decimæ ſoluendæ. Eius rei ratio.

II. Vt decimas fideliter ſoluant. Nam egent miniſtris Eccleſiaſticis qui eos doceant, & Sacramenta adminiſtrent: & quia illi quotidiano victu & veſtitu egent, nec poſſunt ſimul carnalibus & ſpiritualibus intendere, inſtituit Deus, vt decima pars eorum quæ terra profert & humano ſudore proueniunt, miniſtris Eccleſiæ tribuatur. Item, quia pro agricultura exercenda temporalis pax eſt neceſſaria, ideo etiam debent terrenis principibus.

III. Vt cum omnibus pacem ſeruent, *cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes inuicem in charitate, ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.* Quòd ſi pax interrupta fuerit, citiùs ad eam reparandam feſtinetur, ne ſi tardior mora fiat, diuina præſentia ab illorum moribus ſe ſubtrahat. Non licet malum pro malo reddere, ſed in bono malum vincere præcipimur, vt ad tempus patienter iniurias feramus, aut blandè leniterque reſpondeamus, ne proximum noſtro furore peiorẽ faciamus: & ſi quis modò nolit tolerare verba, poſtea inter ardores ſempiternos tolerabit duriſſima verbera. Iniuriam ergo potiùs accipiant quàm reddant, conſiderantes quod è mutua contentione infinita peccata oriantur. Pacem diligant, vt Deus pacis cum illis permaneat, & de pace

XVI. Pax cum omnibus ſeruanda. *Epheſ. 4:2.*

terrena

terrena ad æternam tranſeant.

*Familia piè inſtituenda.* IV. Familiam quiſque ſuam laudabiliter regat. Videant patresfam. ne ſint reprehenſibiles, fidem coniugi ſeruent, ſobrij, prudentes, modeſti, non vinolenti, non litigioſi, non bilingues, non turpe lucrum ſectantes, non inhoneſta loquentes. Vxor virum honoret, domum prudenter regat, ſeipſam irreprehenſibilem exhibeat. Hoc modo ſpes erit de vtili regimine rei familiaris, aliàs non. Filios piè inſtituant in diſciplina & correptione Domini. Prouideāt vt famuli & famulæ Deum timeant, & in præceptis eius ambulent: nec in domo ſua eos ſuſtinere debent, ſi in peccatis mortalibus, maximè publicis, viuere non formident.

*Deum ſibi proponant.* Denique laborent cum timore Domini, & ſæpius ad memoriam reuocent ſe à Deo vbique videri, multò clariùs quàm ab aliquo homine, coram quo tamen peccare erubeſcerent. Seruiant Domino in veritate, inquirendo vt faciant quæ placita ſunt illi. qui pauperes ſunt, multa bona habebunt ſi timuerint Deum, & receſſerint ab omni peccato & fecerint benè, omneſque pia intentione laborantes, poſt hanc laborioſam vitam expectent mercedem fidelibus operariis repromiſſam.

*Tob.14:10.* *Cap.4: 23.*

CA-

# CAPVT VIII.

## Labor Feruidus.

### SVMMARIVM.

*I. Negligentibus olim pœna iniuncta. Laertis labor, & fratrum Domini. labor ſanitatem tuetur, diuitias auget: C. Furij lepidum maleficium.*

*II. Inertes mancipia fiunt; ſtrenui, domini: iuſti aliis præſunt, paſſionibus imperant, mali diabolo tributum pendunt. tepiditas in bono quanta mala adferat.*

*III. Continuum exercitium dat robur: feruidus occaſiones boni obſeruat: Deum timens ardua aggreditur, quid in opere noſtro requiratur.*

*IV. Feruor quantum boni efficiat: is notatus in Abrahamo, & aliis. feruidi ſignati in Cherubinis ſuper propitiatorium.*

*V. In virtute quidam currunt. quidam ambulant: feruidus laborem non ſentit, duplex rei cauſa: iuſti cum diſcretione currunt.*

*VI. Primitiuæ Eccleſiæ feruor: vt nunc charitas refrigeuerit: S. Pauli zelus.*

*VII. Intẽpeſtiuæ Carthaginenſium lacrymæ ab Annibale deriſæ, nos magis ridendi. pro virtute feruor exigitur qui in corporali labore adhibetur.*

*VIII. Tempus breue & incertum, redimi debet. pigri coram Deo vt acetum dentibus, & fumus oculis. querela Crucifixi de tepidis. tempus noſtrum definitum: quid de eo S. Michtildi reuelatum.*

IAm verò vt quiſque laborantium debitum laboris fructum aſſequatur, neceſſe erit, vt magna cum diligentia, ſollicitudine

tudine curaque opus ſuum exequatur, ſiue corporale ſpectes ſiue ſpirituale. Quoad laborem corporalem; Lex quondam erat Thebis, præcipiens artificibus, tum pictoribus, tum figulis, vt imaginũ formas, quoad poſſent, optimè exprimerẽt: iis qui deteriùs aut finxiſſent aut pinxiſſent, mulcta pecuniaria irrogabatur. refert Ælia. Laërtes cùm vigente adhuc ætate, plurimum ſemper & feruidè diuerſis laboribus corpus exercuiſſet, iam grauis annis etiam laborans inuentus eſt à filio Vlyſſe domum reuertente.*a* Apud Euſebiũ *b* habemus, quòd fratres Domini coram Domitiano vocati, vti ex ſtirpe regia Dauid, quam extinguere ſtatuerat; cùm manus oſtenderent partim obtritas callis, partim laceras mechanico labore, à rerum nouarum ſuſpicione liberi ſint dimiſſi. Ethnicus ille princeps non abſurdè iudicabat, nihil ſibi aut reip. metuendum eſſe ab iis, qui manuum labori tam feruenter inſiſterent.

1. Negligenti operario pœna iniuncta.

*Var. hiſt. lib.* 4. Laertis labor.

a *Idem. l.* 7.
b *Lib.* 5. *hiſt. c.* 15.
Strenuè laborantes à mala ſuſpicione liberi.

Labor ſanitatem tuetur.
*Eccli.* 31:27.

Labor ſtrenuus corporis ſanitatem tuetur, teſte Sapiente: *In omnibus operibus tuis eſto velox; & omnis infirmitas non occurret tibi.* Monet, vt in omnibus quæ agenda incumbunt, homo non ſit torpidus, piger, negligens; ſed diligens & ſtrenuus: ſicque futurum promittit, vt non facilè accidat ei quæuis infirmitas; ſignificans pleroſque morbos ex deſidia oriri & nutriri. Ea enim melancholiam nutrit, vireſque corporis eneruat: cùm contrà, diligentia in agendo quæ cõiuncta eſt promptitudini & alacritati animi; pellat mœrorem, valetudinemque conſeruet. Ita ſenſus loci: Eſto diligens & alacer in operibus tuis; quia diligentia, labor & exercitium valetudinem tuentur; torpor verò, otiũ, & deſidia generat morbos.

Ex otio, morbi.

Denique labor diligens rem familiarem auget: Ita narrat Plin. de quodam C. Furio, qui cùm in paruo admodum agello largiores multo fructus perciperet, quàm ex ampliſſimis vicini tas; in inuidia magna fuit, ceu fruges alienas pelliceret maleficiis. Quamobrem ab Albino curuli die dicta, metuens damnationem, cùm in ſuffragium tribus oporteret ire, inſtrumentũ ruſticum omne in forum attulit, & adduxit filiam validam, atque bene curatam ac veſtitam, ferramenta egregiè facta, graues ligones, vomeres ponderoſos, boues ſaturos. poſtea dixit: Maleficia mea, Quirites, hæc ſunt: nec poſſum vobis oſtendere aut in forum adducere lucubrationes, vigiliaſque & ſudores. adeoque omnium ſententiis abſolutus eſt.

Labor diuitias auget.
*Lib.* 18. *c.* 6.
C. Furius vt ſe à maleficij crimine purgarit.

Adeò verum dixit Salomon. Prou.12:24. *Manus fortium dominabitur: quæ autem remiſſa eſt, tributis ſeruiet.*

II. Inertes mancipia fiunt, ſtrenui dominantur.

Fortes, diligentes, ſtrenui, virtute ſua ſibi opes parant, dominium, imperium: ſed ignaui & pigri à fortibus ſub iugum mittuntur, fiuntque eis tributarij: hinc fit vt ſtrenui poſt laborem in opibus ſibi partis conquieſcant, viuantque quietè ex aliorum labore; pigri verò poſt otium & inertiam, laborem quem fugerant amplecti coguntur, vt cenſus & tributa ſoluant. Ita Romani ſtrenui, maiori orbis parti dominati ſunt, Græci, Aſſyrij, Perſæ in luxum & ſegnitiem degenerantes, ſub iugum miſſi.

Iuſti, quia diligentes, præſunt aliis, & paſſionibus imperant.

Quòd ſi hæc accipere placeat de dominio & ſeruitute ſpirituali, veriſſimum eſt, & ſenſus erit: Qui fortes ſunt in operatione virtutum, hi ſolent præfici aliis, & præeſſe etiam appetitui ſenſitiuo eiuſque paſſionibus imperare: ſed, ad virtutem pigri & remiſſi implentur peccatis, &

Peccatores dæmoni ſeruiunt, & tributum pendunt.

dæmoni ſeruiunt, cuius exactioni ſeu tentationi dant aſſiduè pro tributo conſenſum in malo; hinc perenne tributum laborum & dolorum in inferno pendent. Væ manui remiſſæ quæ egeſtatem ſibi parit & ſeruitutem, dum operandi negligentia, vitia ex tepiditate manantia fouendo, bonos mores priùs acquiſitos attenuat! Etenim opera tepida. 1. Deum non placant. 2. angelis & ſanctis ſtomachum mouent. 3. dæmones ad riſum & contemptum prouocant. 4. operantem non perficiunt. 5. maiorem indies difficultatem benè operandi inducunt. 6. tempus ſine fructu conſumunt.

Tepiditas in bono quantum malum adferat.

Ideoq; monemur ignauiam à nobis repellere: *Si deſperaueris laſſus in die anguſtiæ, imminuetur fortitudo tua.* Prou.24:10. Vbi præter varios variorum ſenſus quidam putant, Salomonẽ ſuadere continuam laboris & pugnæ exercitationem. Vt milites robuſti fiunt quotidie arma tractando, laborando, pugnando; infirmi verò & inertes ſi arma ponant vacentque otio: ita robuſtus fit qui aſſiduis laboribus & dimicationibus contra vitia ſe exercet, debilis qui quieti & ignauiæ vacat. Rem confirmat quod dicit: *Anima operantium impinguabitur.* Cap.13:4. q. d. Strenui & ſeduli, cùm opes, ſapientiam & virtutes volunt & concupiſcunt; non diu deliberant quid facto ſit opus, ſed illicò manum operi admouent, & ſtrenuè laborando parant ſibi opes & virtutes concupitas, iiſque impinguantur, id eſt, implentur, ſatiantur, abundant.

III. Continuo exercitio magis magiſque roboramur.

Feruidus, occaſiones boni obſeruat.

Rem theſauri ſimilitudine aſtruit Nyſſ. de beatit. *Si quis auri cupidus*

Theſaurum inueniens, non quie-

ſcit, donec acceperit.

*cupidus in literas incidat, theſaurum alicubi indicantes; locus autem qui theſaurum continet, multum ſudoris ac laboris oſtendat iis qui eius rei cupiditate trahuntur; nunquid oblangueſcet, & nullum laborem in hoc ſtudio dulcedo diuitiarum faciet ipſum exantlare? Non ita ſe res habet: ſed & amicos ad hoc conuocabit, atque vndiq; ſibi accerſens auxilium, multitudine manuum abſconditas ſibi diuitias comparabit.*

Deum timens ardua aggreditur. *Eccl. 7: 19.*

Hoc eſt nempe quod dicitur: *Qui timet Deum, nihil negligit.* q. d. Non eſt tardus aut piger, ſed ſedulus & alacer, vt omne opus arduum aggrediatur. quia forti animo eſt, difficultates, tentationes & tribulationes non fugit, ſed intrepidè obuiam procedit, vincit, ſuperat. *Sap. 10: 12.* *Certamen forte dedit illi, vt vinceret.* diligens nulli parcit ſtudio, labori, tempori; ſed quod res poſcit, illi impendit. Et iterum: *Eccl. 9: 10.* *Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare.* Quid eſt inſtanter? totis viribus, potentiâ, conatu. exigit voluntatis omniumque potentiarum & virium ſtudium & conatum, in operatione virtutum multarum & magnarum. 2. aſſiduitatem & perſeuerantiam, 3. feruorem. 4. ſollicitudinem & celeritatem. Ita Bonau. Hugo, & ex iis Cornelius. à mane vſque ad veſperam, ab infantia ad ſenectam bonis operibus ſtudendum, in iis ſeduli & ſolliciti eſſe debemus, eundo de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion.

Quid in opere noſtro requiratur.

Semper pro virtute laborandum.

IV. Feruidus, laborem non ſentit.

Hinc iam ſtrenuis operariis accidit, vt nunquam velut ſerui laborem ſentiant, ſed vt domini voluptatem habeant, etiam in morte & tormentis, vt patet in martyribus. Vnde Auguſtinus: *Quàm mirandi generis mors eſt, cui non ſatis fuit non eſſe in pœnis, niſi eſſet inſuper in delitiis!* *Tract. 65. in Ioan.* Id adumbratum in Sampſone, qui ad dilectam ſuam Philiſtheam profectus leonem occidit, ac remeans in ore leonis inuenit fauum mellis: *Iud. 14: 8.* quia amor etiam difficillima facit mellea. Strenuus operarius ignorantes docet, frigeſcẽtes accendit, puſillanimes roborat, ſibi nouos theſauros meritorum accumulat. Feruidi ſuâ vitâ iudicant tepidos, iudicant peccatores in Eccleſia, quos tacitè reprehendunt, & feruore ſuo ignauiam eorum accuſant, declarantes gratiæ vim, & Dei liberalitatem, & quòd non Deo, ſed inertiæ ſuæ aſſignare debeant, ſi in peccatis ſint, aut parum proficiant in virtutibus: itaque iam quaſi ſententiam in eos pronuntiant, quam poſtea audituri ſunt.

Feruidi quantum boni efficiant.

Feruor Abrahami.

Attendite feruidum Abrahamum, angelos hoſpitio excipientem. Ipſe vxori mandat: *Accelera,* *Gen. 18: 6.*

*ra, tria ſata ſimilæ commiſce. Ipſe ad armentum cucurrit, deditq́ puero, qui feſtinauit & coxit illum.* Ecce, Abraham, feſtinat Sara, & puer, quia in domo iuſti nullus eſt tardus, piger, tepidus. Hinc eſt quod Verbum Incarnatum ſtatim Virginem impulit; vt montana conſcenderet. ideo vocatur: *Accelera ſpolia detrahere: feſtina prædari.* Feſtinat Dominus pro alio, cur non quiſque feſtinet pro ſeipſo? Feſtinant angeli ſalutis: nam & duo Seraphim qui ſtabant ſuper thronum ſedentis, duabus alis volabant. in quo celeritas ſignatur, & propenſio magna ad Dei iuſſa exequenda. In eiuſdem rei ſymbolum Dominus conſtituere præcepit duos Cherubinos expandentes alas ſuper propitiatorium: nam electi qui velut Cherubim ſcientiæ plenitudinē habēt, & ſicut Seraphim igne charitatis ſūt accēſi, ad Dei obſequiū, & ad pietatis opera alatos & ſedulos eſſe oportet.

Verbum Incarnatum feſtinat.

*Iſaia 8:3.*

Angeli feſtinant.

*Iſaia 6: 2.*

Cherubini ſuper propitiatorium quid ſignēt.

Interloquitur R. P. Zacharias citatus ab Anacleto Sicco in ſua Hymnodia, ita de vero feruore piè diſſerens: *Verus ſanctuſq́ feruor ignis eſt Patris, ſplendor Filij, ardor Spiritus ſancti. Abſque feruoris magnitudine, nullus apud Deum magnus eſſe poteſt, idcirco donum Dei eſt. Bonus feruor ſtimulus eſt perfectionis, bonæ augmentum voluntatis, firmitas votorum, perſeuerantia ſtabilitas. Veros feruidos valde timet diabolus, quia cogitur inuitus iſtis nouas ſemper adferre coronas. Qui de Deo conqueritur, quia ſibi non concedat hunc feruorem, blaſphemiam addit ſuæ peruerſæ diſpoſitioni. Auferas à te quæ ſunt contraria feruori, mentis nimirum cogitationes ſenſuumq́ delectationes, tunc Deus in te excitabit optatum feruorē.* Hæc ibi.

*Lib. 1. c. 6.*

Laus feruoris.

Qui eo caret de Deo non conqueratur.

De iuſtis dicitur: *Current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Plus videtur hîc promitti currentibus, quàm ambulantibus in via virtutis, ait Corn. plus eſt enim non laborare, id eſt, nō ſentire laborē, quàm non fatigari, & ex fatigatione nō deficere. Currentes enim ſunt feruidi, qui præ feruore curſus laborem non ſentiunt, quia eum amant & ambiunt: vbi enim amor eſt, non labor, ſed ſapor eſt. Ambulantes ſunt minus feruidi; qui proinde in operibus laborem ſentiunt, ſed ſuperant. Videmus iuuenes alacres & feruidos ſæpe in curſu, aliiſque laboribus ipſis gratis & iucundis non ſentire laborem; tum quia delectatio quam hauriunt pellit ſenſum laboris; tum quia ingenti animo, vi & ſpiritu cum capeſſunt. Hæc vis & ſpiritus, pondus laboris ita facilè ſuſtinet, vt vix ſentiat. Docet enim Ariſtoteles, vim motricem ſi magna ſit & efficax faciliùs mouere pondus alioqui magnum, quàm

*Iſaia 40:31.*

Quidam currūt, quidam ambulant.

Feruor pellit ſenſum laboris.

quàm & virtus parua moueat pondus paruum: ita vir faciliùs portat onus decem librarum, quàm infans pondus vnius libræ. Curramus ergo in ſtadio virtutis, & magis proficiemus in ea, magiſque merebimur, & minus laboris ſentiemus.

Duplex cauſa cur feruidus laborem non ſentiat.

Ille qui exultauit vt gigas ad currendā viā *a*. currentibus magnam gratiam & ſpiritū, magnos animos & vires quaſi alas aſpirat, qui omnē laboris ſenſum exſufflant. Deinde, feruentes non ſentiunt laborem vel moleſtiā, quia hæc in opere virtutis prouenit ex tentatione & reſiſtētia dæmonis, carnis aut mundi, quę omnes fugantur feruore; quia ad ollā ſuccenſā muſcæ non veniunt, ſed in tepida ſedet, vt dicebat quidam. Feruens ſi quid tepidiùs cœpit, feruentiùs proſequitur, ſicut palma vaſtior eſt in ſummitate, quàm eſſe cœperat ex radice. Semper inchoare ſe æſtimat, & idcirco infatigabilis in nouitate perdurat, ait S. Greg.

a *Pſal.* 18: 7.

*In Vitis Pp. lib.* 7. *c.* 27.

*Lib* 19. *mor. c.* 16.

Iuſti cum diſcretione curſum perficiunt.

Dicitur etiā non ſolùm quòd currāt, ſed etiā quòd ambulent; quia cū diſcretione, ſecuritate & fructu currūt; ſēper enim ambulādo proficiunt. Curſus ſæpe inciditur, ambulatio cōtinuatur; ita ambulans quandoque præuertit currentē. *Subſtātia feſtinata minuetur, quæ autē paulatim colligitur manu, multiplicabitur.* Feruentes ambulare (id eſt, proficere) dicūtur, dum in communi viuendi inſtituto conſtanter progrediuntur.

*Prou.* 13: 11.

Sed mirum eſt, quantum Chriſtianorum feruor deferbuerit. Hoc miſerrimo ſeculo, dum clarior quarumcumque rerum putatur cognitio, tamen tepidior cernitur actio: multorum linguæ magniloquæ, & manus otioſæ. Quantus feruor bonorum qui ante nos vixerunt! Erat primitiua Eccleſia charitate ornata, & velut fornax ſeptuplum accenſa: primi fideles vt carbones incenſi, quo nos accenderemur. Hunc ignem venit Dei Filius mittere in terram: & adhuc Spiritum ſanctum in ignis figura miſit ſuper Apoſtolos, verbis vt eſſent proflui, & charitate feruidi; idque in ſpiritu vehementi, vt tepor omnis exſufflaretur. Apoſtoli iam incenſi per totum orbem ſparſi ſunt: *Ignis à facie eius exarſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo.* Fundarunt Eccleſiam planè ignitam. *Erit domus Iacob ignis, & domus Ioſeph flamma*, ait Abdias.

VI. Primitiuæ Eccleſiæ feruor.

Apoſtoli alios incenderunt.

*Pſalm.* 17: 9.

*Verſ.* 18.

Felix æuum, quando multitudinis credentiū erat cor vnum & anima vna: ardentiſſima Sacramentorum frequentia, ſumma ergà Clerum reuerentia, aſperrima tam priuata quàm publica pœnitentia, vita cuiuſque ſine offendiculo aut querela. Nunc charitas refriguit, quando etiam

Vt charitas refriguerit.

etiam inter fratres frequens eſt diſcordia: quàm eſt remiſſus & flaccidus Sacramentorum vſus! Viri Eccleſiaſtici in horis perſoluendis, laici in piis & quotidianis ſuis exercitiis, id vt plurimùm agere videntur, vt propoſitum ſibi penſum ſoluant, aut conſuetudini inſiſtant; non verò; vt quod dictat lingua, teneat affectus. Olim plerique Chriſtiani pro paruis exceſſibus magnas pœnitentias cum gaudio aſſumebant, quas nunc plerique pro maximis ſceleribus ſibi imponi nollent. Olim Paulo ſtomachum mouit quòd tota Corinthi Eccleſia vnius peccatum non ſatis (vt ipſi videbatur) deploraſſet, & conqueritur; *Et vos non magis luctum habuiſtis vt tollatur de medio veſtrûm qui hoc opus fecit.* Nunc verò nec pauci pro innumeris peccatis gemunt.

S. Paulus vult totam vrbem de vno peccato amarè flere. 1. Cor. 5: 2.

VII. Intempeſtiuæ Carthaginenſium lacrymæ.

Poſtquam Carthago à Romanis variis fuit tribulationibus ſubiecta; dies primæ ſolutionis faciendæ venit, & magnus fletus factus eſt omnium ciuium, quia vnuſquiſque ad ratam tenebatur penſionis. Nō potuit Annibal riſum effuſum continere, licet adeſſent viri primarij ciuitatis, quorum vnus eum reprehendit, quaſi de re, loco; cauſæ & tempori parū opportuna. at ille ſubridens, reſpondit, ſe non ridere ex lætitia, ſed ex irriſione, quia videret lacrymas hominum importunas: plorabant enim leuiſſimum damnum priuatum, cùm antea nullus lacrymarum ſenſum oſtenderet, quando mala grauiſſima publica imminebant, cùm eorum claſſes deiectæ, exercitus trucidati, arma & ſpolia ampliſſima capta audirentur, cernerentur. Magis nos à cæli ciuibus irrideri poſſumus, cùm nos vident ob modicam rei perituræ iacturam madidos oculos circumferre, & interim ſiccis oculis in delictis volutari.

Ab Annibale deridentur.

Nos magis ridendi.

Non putemus, Deum minorem à nobis conatum exigere in labore ſpirituali virtutumque exercitio, quàm à multis in labore corporali cernimus adhiberi. Miles ad nutum ducis, imperterritus in pericula ruit: nauta ne vaſto mari abſorbeatur quanta ſedulitate ac diligentia cuncta exequitur? domus incenſa ſi latius incendium minetur, quàm trepidè concurrunt homines vt extinguatur? Hæc aliaque ſimilia meritò nos confundant. Certè, Paulus non ſolùm monet, vt filios lucis ambulare, ſed etiam currere donec comprehendamus. quid eſt currere, niſi impetum, feruorem, diligentiamque adhibere?

Meritò pro virtute feruor exigitur, qui in corporali labore adhibetur.

Tempus breue eſt, & præſens periculum ne tenebræ nos comprehendant, & nox triſtis ac æterna

VIII. Tempus quia breue & incertū, à nobis redimi debet.

terna in qua nemo poteſt operari. ſi tempus quibuſdam longius conceditur, pluribus adimitur, irruente morte priuſquam languida voluntas bonumque propoſitum ad effectum perducatur. Ad exiguum nomen, aut alicuius perſonæ gratiam promerendam, eo impetu multi feruntur, vt nec expenſis nec labori parcant: nobis longè feruentiùs iis incumbendum, vnde ſalus & æternæ gloriæ incrementum pendet. Redimamus tempus, quoniam dies mali ſunt, & quod ſocordia hactenus perdidit, feruor recuperet. Aderit Dominus ſe quærentibus, qui ad eum finem commodiſſima & dulciſſima ſalutis inſtrumenta miniſtrat, occaſiones apertiſſimas & ineuitabiles ingerens, minatur ni pareamus, inſtat & vrget; ſe vndique nobis auxiliatorem fore ſpondens.

Conatum noſtrum iuuat Dominus

Prou. 10:26. Pigri corā Deo, vt acetum dētibus, & fumus oculis.

Væ, tepidis & pigris! nam *ſicut acetum dentibus & fumus oculis, ſic piger his qui miſerunt eum.* Arida illorum opera eum ſtuporem quaſi Dei dentibus immittit, vt euomere cogatur: & ſi natura eius permitteret, à benedictis oculis eius plures lacrymas inertia noſtra eliceret, quàm fumus denſiſſimus in cuiuſuis æde cōmoranti. Eia piger, propone tibi Ieſum pro te crucifixum, totum ſanguine perfuſum, qui à planta pedis vſque ad verticem capitis ſanitate carens, meritò conqueritur, & dicit: Ego pro te ſanguinem & aquam ſudaui; tu pro me guttulam ſudoris emittere pro iuuando proximo reformidas: ego me infra angelos & homines vniuerſos humiliaui, tu mei cauſâ vel vni recuſares poſtponi: ego pro te vitam & animam dedi, tu vix pedem vltra debitum mei amore velles mouere: hoc ſcilicet meæ humilitati, obedientiæ, charitati rependis!

Querela Ieſu crucifixi de tepidis & pigris.

Apud Dominum, omnia vitæ noſtræ momenta numerata ſunt: definitus eſt cuique vitæ mortiſque terminus, quo die quis naſciturus, quot annis victurus, quo die moriturus. O ſi ſciremus, quàm pauci dies & horæ nobis ſuperſint! quanta lucra ſingulis horis comparare poſſimus, actibus humilitatis, patientiæ, charitatis &c.! ô ſi ſciremus, poſt hoc tempus nec inſtans nobis fore! S. Mechtildis quodam die per reuelationem audiuit; Si ſcirent mortales, quantum quolibet die mereri poſſint, & coronam ſuam augere, exultarent mane in ſpiritu, & Deo gratias agerent, quòd dies ille illuxiſſet; refert Corn. qui & addit hanc orationem: Immitte, ô Domine Ieſu, in viſcera noſtra ignem, quem è cælo in terras

Tempus noſtrum definitum.

Notabile quid S. Mechtildi reuelatum.

In Apoc. 3. 15.

derari debet. Quoad corporis exercitia, prudenter monet S. Baſilius. *Præcipiunt diuina oracula vt laboremus, & corpus actuoſum motioniq́; expoſitum habeamus, potiuſq́; aliorum indigentijs ſubueniamus, quàm aliundè ipſi opem expectemus. Vt autem ipſum immodicis maceratiionibus extabefactum reddamus ac diſſolutum, hoc verò nullo modo.*

*In conſtit. monaſt. c. 5.*

Corpus exercendum, non perimendum.

S. Ioan. Chryſoſt. expendit Dei erga nos beneuolentiam in diei noctiſq; grata viciſſitudine: vt ſomnus ſcilicet per quietem vires corporis repararet, quas labor diurnus abſumit. *& Hibernis frigoribus longiora ſpatia noctium poſuit, vt prolixior requies intra tecta hominibus fieret, & laboribus ſpatia breuiora remanerent. Propter quod & conuenienter tempora hæc quæ ad requiem dedit, tenebris inuoluit.* quod appoſita ſimilitudine ita docet: *Sicut enim piæ quæque matres aut nutrices cum fortè natos ſuos ad quietem prouocant, in gremijs poſitos complecti brachijs, & ad ſe conſtringere, ac tunicâ operire faciem & oculos ſolent, vt obſcurior eis aër redditus, ſomnum per quietem faciliùs inuitet: ita & Deus tanquam velamen quoddam per vniuerſum mundum tenebras obducens, hominum genus ad ſilentium gratiſſimæ quietis inuitat.*

*t. 5. de compunctione cordis. l. 2.*

Diei noctiſque viciſsitudo ad quid ordinata.

Noctes cur ſint tenebroſæ.

Egregia ſimilitudo.

II. Poſt quietem, iucundius repetitur labor intermiſſus, & is vniuſcuiuſque viribus commenſuratus. Audiamus Thomam Kemp. *Fatigari labore communi, charitate ſuadente, vel obedientia dictante, inſigne virtutis eſt, meritique non parui. Pauſare autem tempore competenti, & corpus reficere cibo, aut animam lectione ſacra inſtruere, vtriuſque hominis diſcretiua gubernatio eſt. Tolerabilis itaque defatigatio pro nomine Saluatoris, nec abhorrenda deuotis, cùm pro mundo fatigantur penè innumerabiles. Diſcretus tamen labor ſit ne corrumpat infirmum, aut ad diuina reddat ineptum.* Sic ille.

Quãdoque laborandũ, quandoque quieſcendũ.

*t. 1. p. 2 medit. 19.*

1. Quanta autem virium ſit varietas, docet S. Baſilius loco antecitato, his verbis: *Inuenti nonnulli ſunt, qui in rebus grauiſſimi laboris perferendis nihil omnino graue pertuliſſe ſibi viſi ſunt, eaq́; laxamenti loco potiùs quàm laboris habuêre, idque propter vegetam ac præduram, quæ illorum in corporibus ineſſet harmonicam temperaturam ac robur eximiũ. Verum enim quod hi tolerare facilè potuerunt, alijs cauſa fuit cur periclitarentur, quandoquidem ea nonnunquam in diuerſis corporibus diſſimilitudo reperitur, quæ inter æs ferrumve, ac arentia, ſiue ſarmentitia ligna. Quãobrem ita nobis amplectẽda continẽtia eſt, vt eam cũ viribus corporis cõmetiamur.* Et ſtatim: *Porrò modum vires corporis finient, ſi vid. neque leuiores quis labores ſuſcipiet, quàm quantis ferendis eſſe par poſſit: neque ſi ea item perſequi voluerit, quæ ſuſtinere ſe non poſſe intelligat. Siquidem huius rei quoque rationẽ haberi arbitror oportere,*

Non omnes eaſdem vires habent.

Vires corporis cum diſcretione metiendæ.

*tere, ne cùm propterea quod in continentiæ cultu ſeruatus modus non ſit corpus eneruauerimus, inertes deinceps, & ad res gerendas inutiles exiſtamus. Neque enim eo conſilio Dominus hominem finxit, vt ſegnis ac languens deſideret; ſed contrà potiùs, vt eſſet, qui ſe in laboribus honeſtis exerceret.* &c. Diſcretio igitur adhibenda in aſſumendis & peragendis exercitijs, ne aut nimietate grauent, aut indiſcretione à fine retardent. Modi, loca, mores, & inſtitutiones conuenientes eligantur, & talia in exercitio ſpirituali aſſumẽda, quæ militant contra vitioſam aliquam inclinationem, quam in nobis aduertimus.

Eccli. 32. 25. Monet Ieſus Syrach: *In via ruinæ non eas, & non offendes in lapides: nec credas te viæ laborioſæ, ne ponas animæ tuæ ſcandalum.* q. d. in via ruinæ expoſita ne ambules; ita fiet vt in eius lapides & ſcandala non impingas, nec offendas. Rurſum, ne ineas viam valdè laborioſam, ne per nimium laborem & laſsitudinem alicubi impingas & corruas. Significat non capeſſenda negotia periculoſa, & valdè laborioſa; quia in illis ruinæ, in his moleſtiæ, laſsitudinis & ærumnoſæ vitæ eſt periculũ.

III. Quod periculoſum & nimis laborioſum eſt, non aſſumendum.

Rurſum, ne ſuſcipias onus nimis onerosũm, vireſque tuas ſuperãs: quia grauabis corpus & ſpiritum opprimes, viueſque miſer & ærumnoſus. Priſci anachoretæ magnos labores & pœnitentias ſibi indicebant, ſed viribus ſuis gratiæque, quam à Deo acceperant, commenſos. Martyres ad tormenta ſe alacres offerebant, quia cogebat hinc neceſſitas profitendæ fidei cum periculo vitæ, inde gratia Dei animabat, & tormentis ſuperiores faciebat. Magni animi eſt pericula dũ ingerũt contẽnere & ſuperare, ſed non temerè oportet diſcrimini ſe obijcere.

Pœnitentia Petri de Murrhone.

Petrus de Murrhone, poſtea Cæleſtinus 5. Pp. cùm vix tertio die ſumeret cibum, panem & aquã, ſex per annum ageret quadrageſimas, in nuda humo cubaret, cilicio & catenâ ferreâ conſtrictus, in hyeme frigori ſe exponeret, vt conglaciatus ſemiuiuus inueniretur; audiuit Dei vocem eum diſcretionis monentem: Noli Petre, onus tam graue aſello tuo imponere, quoniam ſi perimis eum onere indiſcreto, rationem Deo redditurus es pro eo. Debitor eſt tibi rationabilis ſeruitutis, & tu illi neceſſariæ ſuſtentationis: ſi vis portari, porta. Refert Cornel. *Si vis ſtabilem,* ait Thomas à Kempis, *benè viuendi ordinem ſeruare, inter duo extrema per medium iter incede, vt nihil per arrogantiam vltra vires attentes, & quæ commodè agere præuales, per inertiam non omittas. Non requirit Deus à te corporis deſtructionem, ſed vitiorum refrænationem.* Non

Monetur à Deo diſcretionem adhibere.

*In citat. Ecc. locum.*

*De diſciplina clauſtral. c. 9*

Quærenda vitiorum refrænatio, non corporis deſtructio.

IV Indiſcreti feruoris mala.

Non vnum, ſed plura ſunt indiſcreti feruoris mala. Qui ex indiſcretionis vitio ieiunia, vigilias, & huiuſmodi ſic agit, vt deficiēte ſpiritu vel corpore languēte ſpiritualia impediantur; abſtulit corpori ſuo boni operis effectum, ſpiritui affectum; proximo exemplum, Deo honorem. imò ſacrilegus dicetur, violans templum Domini ſcilicet corpus ſuum. Ioan. Gerſon indiſcretum quorundam religioſorum feruorem ita carpit: *Sunt qui feruore nouitio ducti, vel potiùs aſtutiâ antiqui hoſtis tracti, mox vt conuerſi fuerint, ſanctitatis arcem arripere feſtinant, & omnia ſine conſilio, ſine ordine, ſine diſcretione agentes, effreni ſtudio feruntur in præceps: vigilant prolixiùs, ieiunant & abſtinent propenſiùs: plus orant & laborant, quàm communis monaſterij regula, vel maiorum cohortentur exempla. Si quid eis de modo, ſi qua de diſcretione ſuggeſſeris, deceptiones putant, deſpiciunt, fugiunt velut nociua: omnia arbitrantur vt ſtercora, adeò ſtudioſa & odibili obſtinatione illudentem ſibi ſequuntur diabolum. Et quod magis eſt mirandum, cùm ad contemplanda ſecreta cæleſtia omni ſe ſtudio deuotionis erigant, ad ambulandum pacificè in terra caligant: & quia oculis ad ſublimia leuatis, pedibus non proſpiciunt; quaſi cælo intenti in terra offendunt. Nulli namque magis quàm hi vnanimitatem fratrum per impatientiam vitiant, per inobedientiam turbant, per contumaciam diſſipant* &c. Tales ait ſtatim pòſt, *quia nolunt moderari quod faciunt, deficiente poſt modicum natura corporis, fit vt aut à cœptis turpiter deſiſtant; aut ſi non deſtiterint, infirmitates perpetuas incurrant, fiatque omnibus eorum oneroſa infirmitas, quibus ante fuit moleſta ſanctitas.*

*Serm. de verbis Domini, Venite ad me omnes.*

Religioſi ſe multis indiſcretè obruentes à dæmone illuduntur.

Pacem turbant inter fratres.

Plura inde incommoda.

Sequitur etiam ex indiſcreto feruore peccatum ſuperbiæ & vanæ gloriæ. grandis ſuperbia cùm vnus homo alijs omnibus iudicium ſuum prefert, tanquam ipſe ſolus habeat ſpiritum Dei. Corpus non frangendum, ſed regendum: ſint moderata, ſancta, & ſimplicia in omni humilitate obſequia, quæ ita corpus attenuent, ne animam eleuent. Denique, aliorum ſcandalum parit: quia caſus vnius multos concutit, & tepeſcere facit à deſiderio proficiendi.

Feruor indiſcretus ſuperbiam parit.

Item ſcandalum.

V *In ſumma vitiorum p. 4. c. 3.* Indiſcreti feruoris ſtultitiæ.

Indiſcreti feruoris ſtultitias ponit Peraldus. I. Contra ordinem Eccleſiæ crucem ſine lumine ferunt: lumen ſapientiæ præferendum eſt cruci pœnitentiæ. Vnde mulier illa ſapiens operata eſt conſilio manuum ſuarum. Indiſcreti verò, quia pœnitentię crucem ſine conſilij lumine ferunt, accidit vt innocentem crucifigant, qui latronem crucifigere debuerant; ſcilicet, nouum hominem, qui debuerant crucifigere

Crucem ſine lumine ferunt.

figere veterem. Vetus intelligitur, ex peccatis compoſitus velut ex membris. *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram*, ait Apoſtolus, homo nouus compoſitus ex virtutibus, qui crucifigitur cùm per nimiam afflictionem abſtinentiæ virtutes operari non poſſunt.

Coloſ. 3.

II. Arma ſumunt quæ pondere ſuo eos deijciunt, & quæ ab hoſte debebant protegere, eos capi ſinunt. Dauid arma ponderoſa reiecit, & ita Goliam ſuperauit: ſic aliqui dæmonem mediocri ieiunio, vigiliâ, &c. ſuperarent, qui cum nimietate per irã aut impatientiam vincuntur.

Ponderoſis armis ſe deijciunt.

III. Habentes equum impetuoſum, non curant frenum imponere, ſed calcaribus ſunt contenti, cùm conſtet frenum eſſe equo neceſſarium.

Equo frenum non imponunt.

IV. Cùm infirmitas quæ ex calida cauſa eſt, periculoſior ſit quàm quæ ex frigida; ipſi ſe ſanos putant, licet ex calida cauſã infirmentur. Acedia velut infirmitas eſt ex cauſa frigida, vnde tepiditas vocatur: indiſcretus feruor velut infirmitas ex calida cauſa; ideo periculoſior videtur.

Sanos ſe putant, cùm infirmētur.

V. Cùm habeant dominum ditiſſimum & liberaliſſimum, credunt tamen placere ei, ſi ſeruos eius fame affligant, vt ad eius ſeruitium impotentes fiant: cùm tamen ſciant tale quid hominibus paupetibus & auaris non placere de iumentis ſuis, quia nemo vult vt iumentum ſuum tantum ieiunet, vt ei ſeruire nequeat.

Seruũ Domini ſui famẽ affligũt.

VI. Cùm magis periculoſum ſit, nauem eſſe nimis oneratam quàm vacuam; ipſi tamen non cauent à periculo nimij oneris. Homo in mundo, eſt nauis in medio mari: huic duplex imminet periculum, ſcilicet ſubmerſionis ex nimio onere, & euerſionis per fluctus tentationum ex vacuitate.

Nauem onerant & periculum augent.

VII. Ipſi iudicant cibum eſſe ſubtrahendum filijs Dei, qui digni eſſent auro & argento cibari: cùm etiam videant tot filios diaboli omni bono indignos, qui largè bona Domini ſui expendant.

Dei filios cibo indiguos putãt.

VIII. Ita volunt Deo ſeruire, vt non poſſint ei diu ſeruire: atqui ſtultum eſt, quod libenter facias, curare vt diu facere non poſſis.

Diu nolunt Deo ſeruire.

IX. Equo ſubtrahunt auenã, & ſimul imponunt maiorem dietam.

Equum nimis onerãt.

X. Se perfectos non æſtimant, niſi Chriſtum etiam excedant, cùm dicatur: *Perfectus omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter eius*. conſtat autẽ Ieſum perfectiſſimum, cùm diſcretione mediocriter comediſſe & bibiſſe &c.

Chriſto meliores eſſe volunt. Luc. 6: 40.

XI. Credunt ſanctos eſſe non poſſe, niſi priùs fuerint homicidæ.

Homicidæ ſunt ſibiipſis mali.

XII. Cum

XII. Cûm alijs boni ſint, tamen ſibiipſis mali ſunt, & immiſericordes.

VI. Ad rationabile obſequium, conſiderandum cui ſeruiamus.

Itaque vt quis cum diſcretione & rationabiliter Deo ſeruiat; conſiderari debet. Primò, nobilitas perſonæ cui ſeruitur. *Honor regis iudicium diligit*, ſcilicet diſcretionis. Hugo Charenſis ad illa verba; *Adduxit eum* (Anna Samuelem) *in vitulis tribus, & tribus modijs farinæ & amphora vini.* docet, in tribus Deo ſeruiendum eſſe, in mentis hilaritate, operis diſcretione, & cordis cõpunctione. *Per vitulum*, ait, *intelligitur hilaritas, per farinam diſcretio, per vinum compunctio. Sed nota triplicem ternarium: tres vituli, tres modij farinæ, tres modij vini, quem ſemper debet ſecum portare ſeruus Dei ſicut Anna. Tres vituli triplex hilaritas, ſcilicet de patris reconciliatione, de patriæ reuerſione, de perditorum reſtitutione. Tres modij farinæ triplex diſcretio operis, ne quid nimis, ne quid parum, ne quid indebitum. Tres modij vini triplex compunctio, de patris offenſione, de temporis amiſſione, de pœnarum ablatione: primum tenet filius, ſecundum mercenarius, tertium ſeruus.*

*Pſ.98:4.*

1.*Reg.*24.

In Dei ſeruitio requiritur mentis hilaritas, operis diſcretio, cordis compunctio.

Secundò, humana natura conſideranda. quia enim homo rationalis creatura eſt, rationabiliter operari debet, & plus niti ſapientiæ quàm fortitudini. certare viribus, belluinum eſt. Deinde, hoſtis ipſe contra nos pugnat potiùs aſtutiâ quàm viribus: ita & nos ei ſapienter reſiſtere debemus. Sal, diſcretionis ſymbolum, in omni olim ſacrificio oblatum: ſale conditur cibus vt ſapiat, diſcretione diſponitur opus vt Deo placeat. *Palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos*, ait Salomon. id eſt, prius conſidera & expende opera tua. & apoſtolicus princeps: *Nolite perigrinari in feruore qui ad tentationem vobis fit.*

Homo rationalis, rationabiliter operari debet.

Sal, diſcretionis ſymbolum.

*Prou.*4: 25.

1. *Pet.*4: 12.

VII. Diſcretio quæ & quanta operetur.

Diſcretio igitur; diſcernet inter malum, peius, peſſimum, vt pro ſua malitia reijciantur; & inter bonum, melius, optimum, vt pro ſua bonitate amentur. Aduertet, quæ reuerentia debeatur ſuperiori, quæ compaſſio inferiori, quæ ſocietas æquali, qualiter nos geramus erga viuos, vitâ functos; prædeceſſores, ſucceſſores; amicos, inimicos. Conſiderabit, quę, qualis, quanta refectio corppri danda in cibo, potu, ſomno, veſte, omnique corporali exercitio: item quæ, qualis quanta concedenda ſit animæ in omni ſtudio pietatis. Diſtinguet tempora laborandi & quieſcendi, loquendi & tacendi, dandi & accipiendi, cum debitis circumſtantijs. Ordinabit cogitationes ne extra Deum vagentur; affectus mentis, ne nimis in creaturis occupentur; voluntates, ne ad Deo ſeparentur;

intentiones, ne impuritati miſceantur, iudicia in meliorem partem conuertet, & verba ac facta in bonum finem diriget. Denique inter creatorem & creaturam diſcrimen ſtatuet, iudicans illum propter ſe, hanc propter illum diligendam, & quod ab eius amore diuellit, contemnendum.

a *Ad pſ. 143. citatus à Iacobo Aluares de Paz. l. 2. de adeptione virt. c. 6. §. 2.*

VIII. Quinque actus diſcretionis: Iudicatio. Delibera-tio. Diſpoſitio. Diſpenſatio. Moderatio.

Richardus Victorinus hos ponit diſcretionis actus. Vt ſit I. Iudicatio, quæ cuncta in iudicium adducit, & ſegregans bona à malis, per illicita nos effluere non permittit. II. Deliberatio, quæ nihil inconſultè agit, & nos à ſuperuacuis reſtringit. III. Diſpoſitio, quæ cuncta ordinatè operatur, & nihil confuſum relinquit. IV. Diſpenſatio, quę ſuperuenienti occaſioni cedit, & humanæ infirmitati condeſcendit. V. Moderatio, quæ modum cuſtodit in omnibus, & menſuram non excedit. De his interpretatur illud pſaltis: *Benedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Manus duæ, iuſtitia & miſericordia ſunt, quas Dominus ad prælium docet, cùm aduerſus omnem iniuſtitiam & cordis duritiã nos inſtruit. Quinque digiti, 5. actus diſcretionis, quos ad bellum erudit, cùm per illos peccatum debellare nos facit. Diiudicatio, eſt velut pollex: nam vt pollex omnibus alij poſitione reſpondet, ſic diiudicatio alijs actibus materiã acceptãdam vel reſpuendã ſub miniſtrat. Deliberatio, eſt index, quæ quid faciendũ indicat. Diſpoſitio, medius digitus & altior cæteris; ita diſpoſitio quaſi gubernatrix omnia agenda diſponit, ordinat, moderatur. Diſpenſatio, velut medicus, qui infirmitati ſe accommodat, & quæ rectè diſpoſita ſunt, quia ex occaſione emergente non rectè ſuccedunt, prudenter mutat. Moderatio, digitus auricularis: nam ille aures mentis ad obaudiendum mandatis purgat, qui in omnibus quæ agit, dignas moderationis metas obſeruat. Opera noſtra diſcretionis ſale condita, licet externã ſpecie parua ſint, Deus approbat: quæ autem hoc ſale vacua, etſi magna videantur, vt vilia & inutilia contemnuntur. Quod ſi opera noſtra & deſideria menſuram virtutis tenuerint, quotidie ad æternam vſque mercedẽm diſcreto labore proficiemus.

*Pſ. 143: 1.* Iidem quinque digitis manuũ comparantur.

CAP.

# CAPVT X.

## Labor perſeuerans.

### SVMMARIVM.

*I. Perſeuerantia laudata. infelices qui non perſeuerant: ſeminant, non metunt: vt varij variè ſine fructu laborent.*

*II. Miſeria non perſeuerantium: Michaæ locus adductus: feruidi magis ſemper accenduntur.*

*III. Multiplici ratione virtus facilis oſtenditur.*

*IV. Perſeuerantes nulla re à cœpto mouentur, IESV perſeuerantia exemplari ſibi propoſito.*

*V. Martyres inter tormenta conſtantes: rarus feruor in Victore, Theodoro, Euſebio, Victoriano. Diuerſa martyrum tormenta.*

*VI. Perſeuerantia Confeſſorum exemplis oſtenſa. multi laboribus immortui.*

*VII. Lucifer cælo deiectus, alij perſeuerantes in gratia confirmati. vt nobis ad mortem vſque laborandum.*

*VIII. Poſt fletum, gaudium. à labore virtutis nemo excuſatur. labor quandoque certo ſpatio definitus, nobis in hac vita non quieſcendum: pro cæleſti theſauro ardenter laborandum.*

I. Laus perſeuerantiæ.

QVid labor feruidus & diſcretus, niſi ſit continuus & perſeuerans? Perſeuerantia virtutum baculus eſt, cui niſi innitantur omnes, corruunt. & vt ait S. Bernardus, nutrix eſt ad meritum, mediatrix ad præmium, ſoror patientiæ, conſtantię filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, ſanctitatis propugnaculum. Hæc eſt cui æternitas redditur, vel potius quę æternitati hominem reddit, dicente Domino: *Qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit.* Matt. 10: 22. Vt igitur labor noſter ſit proficuus, perſeuerare debet. Et de corporali quidem exercitio vix neceſſe eſt, quòm quam à me moneri, cùm pro modico lucro id multi libenter

ter agant, quod æternæ mercedis intuitu perficere nimis graue æſtimarent.

Quid detri méti patiatur, qui non perſeuerant.

In labore ſpirituali multi inconſideratè agentes, dum perſeuerantiam non attendunt, fructũ iam penè acquiſitum amittunt. Audi Prophetam: *Tu calcabis oliuam, & non vngeris oleo; & muſtum, & non bibes vinum.* Fit, vt incipientium laborum fructu priuentur, cùm quidem longè fructus aberat, vt vſu venit ſeminanti, & non meteriti: at cùm fructus diu ſperatus in manibus erat, & tunc ſubitò euaneſcit, aut intercipitur, miſerrimum eſt. Qui calcat oliuã, iam oleum habet, quid reſtat niſi vt vngatur? ſed, non vngeris oleo, ait. Oleum ſignat pinguedinem ſpiritualium donorum, teſte propheta: *vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ.* Oliuam calcant, qui ſe illis operibus exercent quę hæc dona conſequuntur, vt pœnitentia, meditatione rerum ſacrarum, oratione, ſui abnegatione: ſed quia labore fatigantur, aut cùm iam proximus erat fructus deficiunt, aut aliqua vehementiori tentatione ad intermiſſas voluptates rapiuntur; ita neque illa ſpirituali pinguedine inunguntur. Alij quærunt multo labore humilitatem, charitatem, contemptum ſeculi; & poſt longum exercitium non habentes quod quærunt, deſperant habere ſe poſſe, & laborare deſinunt; quod tamen ſi modicum laborarent, proculdubio inuenirent: non enim durus eſt Deus vt obliuiſcatur operis noſtri, calcant & illi oliuam, & non vnguntur oleo. Alij dona ſpiritualia habent, ſed vino conſolationis carent interdum; interea ad vtilitatem ſuam varijs tentationibus exercentur, & anxij quærunt quod cupiunt: & cùm iam in proximo erat conſolatio, & vinũ cæleſte quo ebrij erant Apoſtoli; aut occulta quadã elatione poſt ea intumeſcunt cùm accepturi erant, aut quaſi iam accipere debuiſſent, ſecum tacitè queruntur, quod duriter à Deo tractentur, ideo non accipiunt: hi calcant muſtum, & non bibunt vinum.

*Michææ 6: 15.*

Similes ſeminantibus, qui nõ metunt.

Oleum quid ſignet *Pſ. 44:8.*

Varij variè ſine fructu laborant.

Similiter capi poſſunt verba Aggæi: *Seminaſtis multùm & intuliſtis parum.* quia multi amore gloriæ vel honoris cæteriſque naturæ motibus tranſuerſi aguntur, & ſegniter ac tepidè omnia faciunt. *comediſtis, & non eſtis ſatiati:* quia quibuſdam bonis operibus nutriri & roborari videntur, non tamen ita ſatiantur, vt firmis & integris viribus ſint, citò tentationibus ſuccumbunt, *bibiſtis, & non eſtis inebriati:* quia ſpirituali lætitia ex operibus orta perfundi incipiunt, ſed non inebriantur, quia tentationibus victi citò deſiſtunt. *operuiſtis vos, & non eſtis calefacti:* quia illis operibus quaſi veſtè

*Cap. 1:6.*

II. Miſeriæ eorum qui non perſeuerant.

veſte tecti nuditatem ſuam operiunt,& incipiunt quodammodo caleſcere, ſed paulò pòſt peccatis occupati rurſus frigent.

Feruidi magis accenduntur.

At qui ſpiritu feruent,& lampades charitatis habent, quæ ſunt lampades ignis atque flammarum;borea licet vehementiùs ſpirante, & eum frigefaciente illo qui eſt ab aquilone, vnde panditur omne malum;non frigent, ſed maiore in dies metu & agitatione concipiunt calorem. Horum vox eſt: *Nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei noſtri in æternum & vltra.* Multi timore incœpti laboris,aut viam initam deſerunt, aut in tempus ſenectuti mortique proximum differunt. At cogitent qui Deo ſeruiunt, vitam omnino breuem eſſe,& ſemper inſtanter laborandum: eoque animo ſint oportet vt ſi infinitis ſeculis illi labores eſſent ſubeundi,nullam diuturnitatem longam putent, ſcientes quòd Deo ſeruire ſit regnare.

*Michææ* 4:5.

III. In virtute perſeuerare, non eſt laborioſum.

Quinimo, dicam audacter, in labore virtutis perſeuerare laborioſum non eſſe; ſed eos qui ab ea retrocedunt, ad miſerrimum laborem deuolui. Nemo virtutem nouit quam non exercuit. Labor virtutis facilis eſt illi, qui eius eſt auidus: magno tantùm conatu opus eſt. I. Quia virtus eſt ſecundum naturam & conformis rectæ rationi, legi, Deo: adeòque te ipſa non eſt aliud quàm recta ratio exculta atque perfecta. II. Auiditas virtutis non æſtimat labores & difficultates pro ea cōſequenda, ſed omnes leues cenſet, virtutis pretio & præmio longè inferiores. III. Gratia Chriſti dat alas roboris & alacritatis, quæ omnia difficilia facilia faciunt. IV. Amor facit, vt homo continuo exercitio velut tranſeat in ipſius virtutis aſpectum, vt nihil eâ ſuauius, nil vitio amarius æſtimet. Denique vſus & exercitiū ſenſim difficultates leuiat, habitumque inducit, habitus autem facilitatem operandi tribuit: ita fortiter,ſuauiter & perſeueranter laborabimus.

Quintuplici ratione virtus facilis eſt.

IV. Perſeuerantes nulla re à cœpto dimouentur.

Perſeuerantia eſt, illa virtus quâ in bonis operibus vſque ad finem perſiſtimus, & moleſtiā, ex rei laborioſæ diuturnitate prouenientem ſuperamus: perſeuerantes, non obſtante labore, virtutis opera continuant, & in eo quod ſemel cœperunt,ſtabiles permanent: nec amore vitæ, nec timore mortis, nec minis, nec promiſſis à recto ſeperantur: cogitationes & deſideria in vnum Deum figunt, quem vti finem ſibi proponunt. Illuſtriſſimum perſeuerantiæ exemplar eſt Chriſtus Ieſus,amator noſter

Ieſus perſeuerantiæ exemplar.

Ioan. 13: 1.

perſeuerantiſſimus, qui cùm ſemper dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos, cuius cor ſacratiſſimum numquam quieſcere voluit; donec in cruce pendens,

Ioan. 19: 30.

diceret: *Conſummatum eſt*; promittens omnibus qui ei fidem vſque ad finē ſeruauerint, quod menſuram bonā & confertam, coagitatam & ſupereffluentem, ab eo vt remuneratore fideliſſimo reciperent. Pro nobis exaltatus eſt à terra, vt omnia traheret ad ſeipſum, & traxit multos, qui libenter, perſeueranter, cucurrerunt in odorem vnguentorum eius. Quidam egregius operarius confidenter loquitur;

2. Timoth. 4: 7.

*Curſum conſummaui, fidem ſeruaui.*

V. Martyres etiam in tormentis fideles permanſerunt.

Videte & miramini martyrum perſeuerantiam, qui tormentis acerbiſſimis interrogati, & timore mortis adacti fideles permanſerunt. Victor proconſul Carthaginis, vir diues & clarus, ad veritatis negationem ſollicitatus à rege, & promiſſis multis ad defectionem inuitatus, reſpondit: Dicite regi veſtro vt ſubijciat me ignibus, adigat beſtijs, excruciet omni genere tormentorum: ſi conſentio, fruſtra ſum in Eccleſia baptizatus catholica. nam ſi hæc præſens ſola vita fuiſſet, & aliam quæ verè eſt, non ſperarem æternam, nec ita feciſſem ad modicum, atque temporaliter gloriarer, & ingratus ei exiſterem, qui per fidem meam omnia ſua mihi contulit.

Animoſum Victoris reſponſum.

Victor. l. 3. hiſtor. Vandal.

Theodori martyris feruor.

Theodorus martyr, ſicarijs immanes cruciatus minitantibus, niſi Chriſti fidem abiuraret, in præclarum hunc ſermonem erupit: Pro fidei Chriſtianæ confeſſione qui vulnerat, incidat; & qui verberat, lacerat; & qui cremat, flammam adijciat; & qui his verbis offenditur, linguam eximat. narrat Nyſſenus in eius vita.

Conſtantio Imp. vt reſtiterit Euſebius.

Theodor hiſt eccl. l. 2. vlt.

Euſebius Epiſc. Samoſatenſis, iuſſus à Conſtantio Imp. tradere decretum de coeſſentialitate, aut dexteram manum amittere; prolatâ vnâ cum dexterâ etiam læuâ: Seca ambas ait, nam commune decretum non reſtituam, tam clarum teſtimonium Arianæ prauitatis.

Victor. 3. de perſec. Vandal.

Victorianus, vir conſularis, ob prudentiam Hunerico regi carus, qui tandem blandirijs ipſum ad Arianorum dogma amplectendum perſuadere conatus eſt. Cui magno animo Victorianus: Extrema quæuis aduerſum me experire, tormentis me eneca, flammis iniectum in cinerem me redige, beſtijs me obijce, quiduis tamen ſcito me pati malle, quàm pactum quod cùm Chriſto ſeruatore in S. baptiſmo inij, deſerere. His verbis exar-

Inſignis Victoriani conſtantia.

exardeſcens tyrannus, verberibus eum defœdatum, totoque corpore laceratum, & omni tormentorum genere excarnificatum occidit.

*l. 32. mor. c. 12.* Martyrum cruciatus, ita breuiter tangit S. Greg. *Alios improuiſo ictu immerſus iugulo gladius ſtrauit: alios crucis patibulum affixit, in quo & mors prouocata repellitur, & repulſa prouocatur. Alios hirſutis ſerra dentibus attriuit: alios armata ferro inſulcans vngula carpſit: alios belluina rabies morſibus detruncando comminuit: alios ab intimis viſcerum per cutem preſſa vis verberum rupit: alios effoſſa terra viuentes operuit: alios in altum demerſos in mortem præcipitium fregit: alios edax flamma vſque ad cineres depaſta conſumpſit.* Ita martyres inuictâ conſtantiâ quæuis tormenta contempſerunt, vt labores ſuos felici fine clauderent, aſpicientes in conſummatorem IESVM, ſuumque remuneratorem. Siquidem, vt ait S. Baſilius, *eſt magna merces eorum, qui perſeueranter pro fide ſuſtinent afflictiones, præter hæc & gladius ſplendeſcat, & ſecuris acuatur, & ignis ardeat Babylonico illo vehementiùs, & omnia ſuppliciorum inſtrumenta in nos moueantur.*

Diuerſa martyrum tormenta.

VI. Perſeuerantia Confeſſorum.

Nunc videamus & miremur Confeſſorum perſeuerantē conſtantemque laborem. Symeon Suſotionis filius 13. annos natus adijt Timothei abbatis monaſterium, dicens ſe monachum profiteri velle: non admiſſus, quòd ea ætas leuitati proprior videretur, ante oſtium procidit, dies 5. ſine cibo & potu perſeuerauit, ibi mori paratus, niſi die quinto receptus votum impleſſet, ſtupente abbate tantam in puero firmitatem, quantâ rarò in ſenibus eſſet. ætatem reliquam ſic egit, vt in omnibus mirabilis eſſet, & ſi cuncta vera ſunt quæ de illo produntur, nemo vnquam corpus ſuum acerbiùs affixit.

*In Vitis PP.*

Symeon Suſotionis filius.

Nathanael anachoreta, teſte Palladio, ſemper clauſus vixit, vt pedem extra cellæ limen efferret, callida diaboli euocatione induci non potuit: ibi 37. annos perſeuerans, elatus inde non egreſſus eſt, corpus pariter cellamque relinquens in conſortium fideliter laborantium eſt receptus. Antonius à 18. ætatis anno vſque ad centeſimum quintum laborare non deſijt: & Paulus primus eremita ab anno ætatis 16. vſque ad 113. Egregius & operarius fuit S. Romualdus, qui centum annis continuis in ſumma vitæ aſperitate Domino ſeruiuit.

Nathanael. Antonius. Paulus. Romualdus

Multi Deum rogarunt, vt poſſent non in lecto, ſed inter laborandum mori, & impetrarunt. Petrus & Paulus, adhuc in

Quinam labori immortui.

in carcere, Proceſſum & Martinianum conuerſunt. S. Stephanus non ceſſauit prædicare IESVM, donec os lapidibus eſt obtuſum. Andreas biduo viuus in cruce Chriſtum prædicare non omiſit. Ambroſius explicationi Pſal. 43. immortuus eſt. Auguſtinus libris Iuliani hæretici Pelagiani reſpondens, & glorioſè in defenſione Chriſtianæ fidei perſeuerans, ad laboris præmium euolauit. Beda in Wiremuthenſi cœnobio ad extremum vſque ſpiritum docendo & diſputando diſcipulos exercuit, inter eos fuerunt Albinus, Ioannes, Claudius, Clemens & Rabanus: mercedem laboris accepit anno ætatis 72. Chriſti 734. Thomas Aquinas Cantica Canticorum explanauit, & cycneum canens ſpiritum reddidit. Felices & prorſus beati qui labores pro Deo ſuſceptos tam felici fine claudunt: at miſeri & infelices qui ſe Dei regno ineptos reddunt, quia retroſpiciunt.

VII. Lucifer cur cælo eiectus

Mirari quis poſſet, cur Deus cuius natura bonitas, Luciferi regnum in cælo non firmauerit, ſed in ſupplicia ſempiterna detruſerit? quia draco iſte in veritate non ſtetit, ſed Deum qui eſt veritas ſumma, pulchritudo æterna, bonitas inexhauſta; vltro dereliquit: Superbiā deceptus ſecreatori æquare decreuit, & iniquo ſui amore ebrius in bono cœpto perſeuerare renuit. At Michael & angeli eius, qui cum illo fortiter dimicarunt, donec alligatum vinculis in ſtagnum ignis mitterent cruciandum; in fælici regno remanſerunt: legitimè certantes coronæ palmam accipere meruerunt, & ſummi Dei bonitatem ac pulchritudinem adamantes, ſummo conatu Deo adhæſerunt. Hi fælices cælorum ciues vnico actu perennem illam gloriam nunquam amittendam ſunt adepti. Reſtat, vt ſciamus eam à nobis amitti ſine conſtanti labore.

Perſeuerantes in gratia confirmati.

Laborandum eſt, & vſque ad mortem laborandum. Militibus Chriſti non ante ſtipendia ſinuntur: cùm conſummauerint tunc incipient, ſola mors miſſionem dabit. Audiamus S. Chryſ. *Is qui laborum tempus quieti dedicat, tunc immugiet & ſtridebit dentibus, quando inſeneſcibili illa & æterna requie debuiſſet requieſcere, extrema & immortalia ſupplicia luere cogetur. Qui verò preſſuras omnes promptè ac libenter tulit, & hic & in futuro ſeculo clariſſimus erit, veraque & immortali gloria beatus.* Et ſtatim; dixit enim Chriſtus; *In mundo preſſuram habebitis... quid ergo angeris? quid grauiter fers? quid in ærumnis*

Ad mortem vſque laborandum.

*T. 5. de prouid. Dei l. 2.*

*temporibus vexaris? Tunc enim dolendum, tunc ingemiſcendum eſſet, ſi quod Chriſtus preſſuræ tempus deputauit, id nos deliciarum ac quietis faceremus: ſi quo tempore pugnare ac laborare iuſſi ſumus, eo torperemus: ſi latam incederemus viam, cùm ille per anguſtam præceperit eundum: ita enim neceſſariò iam nobis relinqueretur cruciatus ille ſempiternus.*

Tempore laboris torpere, miſerum.

VIII. Si nos ſuper flumina Babylonis ſedemus & flemus cum propheta, ob Ieruſalem cæleſtem quam anhelamus; tamdiu flendum eſt, quamdiu habitamus in terra Babylonis. Qui hic lætari cupit & quieſcere, ſe in exilio eſſe ignorat, patriæ eſt, (non exilij) frequentia gaudiorum: requies & otium ciues decent, non exules. Et quidem corporis labor & afflictio, habet quouſque progredi poſſit & debeat, & ab imbecilli ac affecta ætate deſiderari magis poteſt quàm exerceri: at ſtudium pietatis animi, humilitas, charitas, patientia &c. quæ vires corporis non poſtulant, nullam ætatem feriari permittunt, nullum tempus à ſe alienum eſſe patiuntur. In hoc ſtadio iuuenibus & ſenibus ad mortem vſque currendum: idem finis vitæ & palæſtræ huius futurus.

Hic labor & fletus, poſtea gaudium.

A labore corporis excuſati imbecilles & ſenes: à labore virtutis, nemo.

In Eccleſijs & Academijs per legem certus eſt annorum numerus laborantibus præſcriptus, quem vbi attigerint emeriti quieſcant, & ſolitis ſtipendijs fruantur. quieſcebant & veterani milites Romanorum. Chriſti ſeruus quieſcere non debet: dum hoſtes habet quibuſcum certet, non deponit arma: dum eſt in ſtadio currit & ſudat, præmia non expectans in valle lacrymarum, ſed credens videre bona Domini in terra viuentium. Saltem dum paruuli ſumus, laborem feramus, vt viri quieſcamus. Paruuli ſumus dum viuimus, viri erimus cùm Deum videbimus ſicuti eſt. Simile eſt regnum cælorum theſauro. qui fodiendo theſaurum quærunt, ait S. Greg. cùm altius fodere incipiunt, ad laborem inſtantius inardeſcunt: ita boni laborando non deficiunt, ſed magis ad laborem creſcunt, & quo præmia propinquiora conſiderant, eo in opere delectabilius ſudant: tantò ſc. magis quantò viderint appropinquantem diem, quâ vocabuntur fideles operarij, & digna merces reddetur

Labor quãdoque certo ſpatio definitus.

Nobis dum viuimus non quieſcendum.

*Lib. 5. mor. c. 3.*

Iuſti pro theſauro cæleſti ardenter laborant.

*Hebr. 10. 25.*

# CAPVT XI.

# Labor Coronatus.

## SVMMARIVM.

*I. Pro cæleſti præmio laborandum. Deus pro laborantibus eſt ſollicitus.*

*II. Labor ſcala cœli eſt: labor modicus, gloria æterna. S. Galgani felix labor.*

*III. Iuſti palmæ ſimiles, corona quibus olim ab ethnicis data.*

*IV. Deus etiam in mundo iuſtos coronat, dum eos eligit, redimit, confirmat, caſtos ſeruat, mentes illuſtrat, martyres roborat.*

*V. Corona gloriæ. 40. martyres coronati. quatuor lapides pretioſi in corona gratiæ, & quatuor in corona gloriæ.*

*VI. Glorioſæ coronæ felicitas.*

*VII. Quies in beatis qualis. labor operãtium vnde æſtimandus.*

*VIII. Dos agilitatis, ea operantibus propria. In hac vita vigilia laboremus, vt ſecuturum æternæ vitæ feſtum iucundius celebremus.*

I. Laborandũ eſt vt cæleſte præmiũ obtineatur.

IVſſus eſt olim Moyſes cortynas lineas, hyacinthinas & purpureas facere. Purpura notat, laborandum eſſe vſque ad ſanguinem: linum quod toties manum ſubit, & tunditur, denotat mortificationem: hyacinthus cæleſte præmium declarat. *Manus illius plenæ hyacinthis,* ait ſponſa (Cant. 5: 14.) de dilecto ſuo, oſtendit quòd ille qui laborat & ſe mortificat gloriæ hyacinthum promereatur. viciſſim petit ille à ſponſa poni *vt ſignaculum ſuper brachium.* (Cap. 8: 6.) id eſt, ad amorem meum obtinendum continuò labora. idemque qui olim ab ingreſſu tabernaculi cæcos & claudos repulit,

nunc

nunc ineptos & inuoluntarios cælo arcet.

3. *Reg.* 7: 29.

Boues & Cherubim cur à Salamone facti.

Salomon in columnarũ templi baſibus boues & Cherubim efformauit, ſignificans, inſtar boum nobis laborandum hic eſſe, ſi poſtea Cherubinis ſociari velimus. Idem à Deo Sapientiam petijt: ad quid? *vt mecum ſit, & mecum laboret.* datur ei ſapientia, quia laborem non detrectat, non reformidat. petijt ergo, & impetrauit. Vtinam perſeueranter laboraſſet! Quicumque hac ſapientia duce laborant, ſecurè coronam expectant.

Sapientiam à Deo petit

*Sap.* 9: 10.

Deus pro laborantibus ſollicitus.

Sed, ô Dei mei bonitas! Nos diuinam illam Sapientiam vocamus ad laborem nobiſcum in terris, & ipſa id agit, vt his medijs perpetuò quieſcamus in cælis. S. Petrus feruentior reliquis promptiùs venit ad Chriſtum. Subitò vt cognouit quia Dominus eſt, miſit ſe in mare. Homo cùm non cognoſcit aut ſapit Deum, & ſeipſum amat, labores fugit: ſed vbi aduertit & guſtat quàm ſuauis ſit Dominus, in mare tribulationum ac laborum ſe conijcit, deſiderans ob amorem Dei quidquam ferre, ac laborare. Sed ecce piſcatores Dominus ad prandium vocat; *Venite, prandete.* ſcilicet bonus eſt, vt laborantes remuneret, eoſque, qui in eius ſeruitio fatigantur. Diſcipuli piſcantur, & IESVS prandium parat: dum pro illo occupamur, ipſe æternum parat conuiuium, & coronam.

*Ioan.* 21: 7.

Dum diſcipuli laborãt, à Christo ad prandium vocantur.

*V.* 12.

Quid ergo labor, niſi ſcala cæli? aſcende quiſquis es: finis opus tuum coronabit. S. Perpetua vidit per viſionem ſcalam auream ex terra in cælum porrectam, cultris & gladijs quaſi gradibus intextam: ſimulque vidit Satyrum ſocium ſuum in carcere per eam fortiter & animoſè conſcendere, ac in ſummo ſtantē ſe ſuoſque hortari; vt intrepidè ſequerentur. Cùmque viſum hoc Satyro & ſocijs cæteris narraret, acclamarunt omnes eum iubilo ſe vocari ad martyrium: vnde gratias agentes Deo ad illud ſe compararũt, quod primò obiuit Satyrus, deindè cæteri, 7. Martij anno Domini 205. Non te terreant moleſti gradus, ſed fortiùs trahat, in ſummitate eius imminens laborantium capiti corona. Etenim Deus, *labores hîc vbi breuis eſt vita attribuit, coronas autem in futurum reſeruauit, vbi ſenij expers eſt æuum, & nunquam finiendum. Et hic quidem labor celeriter ſoluitur & præterfluit, illa autem manent æterna, & nunquam deſitura,* ait S. Chryſoſt.

II.

Labor, eſt ſcala cæli.

Per moleſtos gradus a ſcenditur ad coronã.

*Hom. in Pſ.* 7.

Modicus labor perennem parit fælicitatem. S. Stephanus 7. menſibus Diaconi officium ſtrenuè

Labor modicus, gloria æterna.

ſtrenuè executus eſt, & quantam gloriam adeptus? S. Galganus à voluptuoſa vita ad auſterã & ſanctam à S. Michaele archangelo euocatus, in eremum ſeceſſit, ac cæleſtem in orationibus, ieiunijs, omnique auſteritate vitam agens poſt annum cæleſti voce ad æternam requiem inuitatus eſt hac voce; ſatis eſt quod laboraſti, metes nunc quod ſeminaſti, anno ætatis 33. ſub an. Domini 1181. refert Corn. in eum locum qui habet: *Modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem.*

S. Galgani breuis & felix labor.

Eccli. 51. 35.

III. Iuſti palmæ ſimiles.

Si quid nobis durum videatur, vel ſola coronæ memoria leniri poterit. Palma totum corpus habet aſperis corticibus tectum, verticem autem aſpectu gratum & ſuaui fructu abundantem: laborant iuſti quouſq; floreant virtute, & fructum bonorum operum ferant, ſed poſt labores æternitatis munere gaudent. aſpera cortice ieiuniorum &c. ſe veſtiunt, ſed vertex laboris eorum in morte gratiſſimus apparebit. Scribit Plinius olim nullam coronam niſi dijs ethnicis datam: poſtea Deorum honori ſacrificantes eas ſumpſiſſe, victimis ſimul coronatis: inde in certaminibus vſurpatas, dein triumphatoris collatas in templis dicandas, mox vt & in ludis darentur. Deus coronam cælicam ijs ſolum dare conſtituit, qui pro modulo ſuo imitati ſunt, ſeque conformes fecerunt imaginis benedicti Filij ſui; quem laborantibus exemplar propoſuit, & quibus verè dici poteſt: *Ego dixi, dij eſtis & filij excelſi omnes.*

L. 16. 4. Corona, olim non niſi dijs data.

Pſ. 81: 6.

IV. Iuſti, vt etiam in hoc mundo coronentur.

Michael Ayguanus ad illa verba; *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*, docet Deum iuſtos etiam in hoc mundo multipliciter coronare. I. Ipſos æternaliter eligendo. quæ enim maior dignitas cogitari poteſt, quàm hominem nullo præcedente merito ad ſummum bonum participando eligere? de hac corona dicitur: *Eris corona gloriæ in manu Domini.* in manu Dei, quia ſolius eius bonitas eſt, vt nullis præcedentibus meritis quis ad talem coronam ſit electus.

Pſ. 64: 12.

Ab æterno eligit.

Iſaia 62: 3.

Pœnaliter redimendo. corona quæ nobis à Deo erat parata, exigentibus noſtris peccatis perdita, nullis noſtris operibus poterat recuperari. *Cecidit corona capitis noſtri: væ nobis, quia peccauimus.* Chriſtus ſua morte hanc coronam nobis reparauit, cùm pro nobis coronam ſpineam ſuſcepit. O corona totis affectibus amplexanda, quâ noſtra corona perdita reſtauratur.

Illos redemit.

Thren. 5: 16.

Coronat ſtabiliter diſpenſando, cum, ſc. ſuos in tentationibus

&

In aduerſis confirmat. & aduerſis fortificat. In ſtadio ſumus, pugnamus, aduerſarij multi, nos debiles; & tamen ſolus legitimè certans coronatur, id eſt, qui hoſtibus non cedit, ſed de illis victoriam reportat. Vnde monemur: *Tene quod habes,* ſtabiliter pugnando, *vt nemo accipiat coronam tuam.* Inuicto principi noſtro fideliter adhæreamus, qui nos ſeruabit inuictos, vnicuiq; noſtrûm dicens: *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*

Apoc. 3:11.

Apoc. 2: 10.

Caſtos conſeruat. IV. Iuſtos in carne præſeruando, ne ſc. à carnis libidine ſuperentur. Hæc corona maximè virginibus conuenit, & aurea dicitur; quia aurum ob ſuam puritatem & incorruptionem, carnis ſignat integritatem. *Corona aurea ſuper caput eius.*

Vide Eccli. 45: 14.

Mentes illuſtrat. V. Eos in mente perluſtrando, cùm tribuit ſapientiam, & Scripturarum cognitionem. Hæc corona doctoribus competit, & ſtellata dicetur. Stella ob claritatem ſignat ſcripturarum ſcientiam: nam vt ſtella deuiantes dirigit, ita Scriptura errantes illuſtrat. de vnoquoq; horum laborantium dicetur, *In capite eius corona ſtellarum duodecim.* quòd Scriptura maximè circa 12. articulos fidei verſetur.

Apoc. 12: 1.

Martyres roborat. VI. Denique coronat, in pœnis roborando martyres ne tormentis deficiant. Hæc corona eorum qui pro Christo fortiter dimicarunt, & lapidea dici poteſt, nam lapis ob ſuam duritiem ſignificat patientiam in aduerſis.

V. Qualis corona gloriæ. At qualis erit corona gloriæ? Sua cuique virtuti erit corona, eaque pro meritis varia. Laboremus, & ſimul pergamus ampliſſimas accipere dignitatum coronas: hi de virginitate candidas, illi de paſſione purpureas, iſti de doctrina laureas. Narrat S. Baſilius, cùm quadraginta martyres in ſtagnum gelidum iniecti eſſent, cælitus luce fuiſſe circumfuſos, angeloſque cæleſtes 39. coronas ſingulis ſuam adornaſſe & oſtendiſſe: quod miratus ianitor carceris (cùm vnus è 40. iam deficeret) detractis ſibi veſtibus, cum clara voce ſe Chriſtianum eſſe profiteretur, breui labore quadrageſimam coronam ſibi vindicauit.

Hom. de 40. martt.

40. Martyres coronati.

Hugo Carenſis ad illa verba ante citata; *Cecidit corona capitis noſtri.* Obſeruat quatuor lapides pretioſos, tam in corona gratiæ, quàm gloriæ. Quoad illam, in fronte, inquit, eſt charitas, quæ nos inflammat ad appetenda cæleſtia, vt quæ retro ſunt obliuiſcentes, ad priora nos extendamus. Hæc eſt carbunculus ardens, de quo Iſaiæ 6. In occi-

Thren. 5: 16

Lapides in corona gratiæ.

Charitas carbunculus, in fronte.

Humilitas amethyſtus, retro.

pite eſt humilitas, quæ bona ſua nec videt, nec numerat. magna verè, & rara virtus, vt quis magna faciens, magnum ſe neſciat. Hæc eſt amethiſtus, qui mixtum habens colorem violæ & roſæ quaſdam flammulas de ſe effundit, & ſignificat humilem ſanctorum verecundiam, cum odore bonæ operationis. In parte dextra eſt obedientia,

Obedientia hyacinthus, à dextris.

quia quidquid nobis præcipit, proſperum eſſe debet. Hæc eſt hyacinthus, qui cum aëre mutatur, in ſereno perſpicuus; in nubilo obſcurus eſt; ſic obediens ad voluntatem Prælati de hoc mutatur in illud. In ſiniſtra parte eſt patientia in ad-

Patientia chryſopraſus, à ſiniſtris.

uerſis. Hæc eſt chryſopraſus, cuius duæ ſunt ſpecies, quidam viridis aureæque mixturæ, alius purpureus cum guttis aureis, & ſignificat patientiam martyrij, vel cuiuſcumque tribulationis.

Quatuor lapides in corona gloriæ.

Item corona gloriæ quatuor habet. Ante eſt æternitas viſionis diuinæ: retro euaſio periculorum habitationis mundanæ: à ſiniſtris ſocietas ſanctorum: à dexteris iucunditas angelorum.

Pſ. 144: VI. Coronæ iſtius felicitas.

Idem ad illa verba; *Gloriam regni tui dicent.* oſtendit coronæ iſtius felicitatem, cùm docet, in quibus gloria regni Dei conſiſtat. Nempe in regis ibi regnantis ſapientia & fortitudine. *Regnabit rex & ſapiens erit, & faciet iudicium & iuſtitiam in terrâ.* Ierem. 23: 5. In eius benignitate. *Dulcis & rectus Dominus.* Pſ. 24: 8. In eius ſempiterna præſentia, *Regem in decore ſuo videbunt oculi.* Iſaia 33: 17. Denique eius amore & beneuolentia. *Ego diligentes me diligo.* Prou. 8: 17. In vnius ſolius dominatione. *Eleuabitur Dominus ſolus in die illa.* Iſaia 2: 17. In diuturnitate. *Cuius regnum, regnum ſempiternum eſt.* Dan 7: 27. Amplitudine, *Regnum tuum regnum omnium ſeculorum.* Pſ. 144: 13. In omnium bonorum abundantia: *Replebimur in bonis domus tuæ.* Pſ. 64: 5. In omnimoda libertate. *Illa quæ ſurſum eſt Ieruſalem, libera eſt.* Gal. 4: 26. In conformitate ſecundum ritum & modum viuendi: *Ieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas,* vbi ſc. eſt vnitas. Pſ. 121: 3. In nobilitate: *Dicetur eis, Filij Dei viuentis.* Oſee 1: 10. Prudentia & diſcretione: *Populum impudentem non videbis.* Iſaia 33: 19. In munditia & ſanctitate: *Ipſa ciuitas aurum mundum, ſimile vitro mundo. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Apoc. 21: 18. V. 27. In pulchritudine: *iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum.* Matth. 13: 43. Perfecta dilectione: *Dixit Dominus, cuius ignis eſt in Sion,* id eſt militante Eccleſia, *& caminus in Ieruſalem*, id eſt, Eccleſia triumphante. per ignẽ minor dilectio, per caminum maior ſignatur. In magnificentia & honore. *Quos iuſtificauit, illos & glorificauit.* Rom. 8: 30. Angelorum ſocietate

*Hebr. 12: 22.* cietate & aſpectu. *Acceſſiſtis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ieruſalem cæleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam.* Denique in perfecta ſecuritate & pacis tranquillitate. *Iſaia 32:18.* *Securitas vſque in ſempiternum. Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.*

*De æterna felicitate SS. l. 3. c. 4.* O requies ſine labore! Audiamus de hac re Bellarminum. *Rectè canit propheta: Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis. quoniam non requieſcent vt dormientes, qui non ſentiunt quietem ſuam; ſed cum exultatione magna requieſcent, ſcientes & cognoſcentes cum æterna gratiarum actione bonum feliciſsimæ quietis ab omni labore, dolore, timore, moleſtia, perturbatione liberrimæ. Profectò ſi nihil eſſet aliud in domo Domini, niſi iſta ſempiterna requies, nónne digna eſſet quæ omnibus huius vitæ laboribus & doloribus emeretur? Et ſi apud inferos tormentum non eſſet aliud niſi ſempiterna & irrequieta vigilia, nónne digna eſſet quæ omnibus huius vitæ diurnis nocturniſq; orationibus & fletibus redimeretur? Certè enim quàm dulce ſanctis erit in exitu de hoc ſæculo videre finem laboris & doloris, tam erit amarum iniquis in exitu ſimul cernere, nullam deinceps ſperandam eſſe requiem laborum atque dolorum.* Hæc ibi.

VII. Quies qualis in beatis futura.

Sed quis aut qualis eſt labor noſter: vt ad tantam perducat felicitatem? Reſpondet idem Bellarm. quòd labor operantium in vinea Chriſti, non debeat æſtimari ex ſola operis ſubſtantia, ſed ex gratia Dei inhabitante corda iuſtorum, quæ eſt fons aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam. Item ex virtute charitatis, quæ nobis infuſa eſt per Spiritum S. qui datus eſt nobis: corona autem vitæ æternæ præparata eſt à Deo diligentibus eum. Item ex coniunctione cū Chriſto, qui tribuit valorem & pretium maximum fructibus palmitum viuorum, vt vitis vera; & operibus viuorum membrorum corporis ſui myſtici, cuius ipſe eſt caput. *Ibid. l. 5. c. 3* Vnde æſtimari debeat labor operantium in vinea.

VIII. Porrò, fidelibus operarijs id felicitatis peculiariter obtinget, vt fracta in hoc mundo labore corpora, poſtea agilitatis dote gaudeant. Eſt ea vis quædam ſupernaturalis beatis collata, per quam poſſunt repentè mouere corpora ſua ſimplici impetu in quamuis mundi partem incomprehenſibili celeritate. S. Anſelmus aſſerit beatos in agilitate ſimiles fore angelis, quia à cælo ad terras dicto citius dilabentur; impios verò præ pondere, nec pedes, nec manus, nec aliud corporis ſui membrum moturos. & c. 52. docet, beatum ſi velit, poſſe terram

Dos agilitatis operarijs competit. Quid illa ſit. *L. de ſimilitud. c. 51.*

ram loco ſuo mouere; damnatum autem nec vermem ab oculis amouere. Hæc agilitas inſinuatur, cùm de iuſtis dicitur;
Sap. 5: 7.
*Tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent*, & illa verba; *aſſument*
Iſaia 40:31.
*pennas vt aquillæ: current, & non laborabunt: ambulabunt & non deficient*; exponit S. Heronymus de corporibus glorioſis: neque enim in hac vita niſi metaphoricè id impleri poteſt: perfectè & propriè in altera, lege Leſſiũ
L. 3. c. 6.
de ſummo bono.

Reſtat; vt cum ſumma alacritate laborandi tempus obſeruemus, donec tempus quieſcendi aduenerit, donec dies æternitatis illuceſcat, & quies feliciſſima. Tempus quo hîc viuimus, & ſecuturæ vitæ æternitas, eſt vt vigilia præcedens & feſtum ſequens.

Hæc vita vt vigilia, futura vita ipſa feſtiuitas.

In feſtiuitatum vigilijs homines feruentiùs & diutiùs laborant. In hac vitæ vigilia nobis laborandum eſt: exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros in laboribus, in vigilijs, pòſt vacabimus gaudio & quieti. Et vt ſtultus eſſet, qui in vigilia, ſudantibus omnibus, otioſus eſſet; & ipſo feſto gaudentibus & quieſcentibus alijs, ipſe laboraret: ita ſtultior erit, qui hîc quietem obtinet, & iniunctum ſibi laborem non complet.

Stultum in vigilia requieſcere velle.

Sancti omnes qui nos cum Chriſto præceſſerunt, labori ſeſe ſtrenuè dederunt, & in futuro ſibi gaudium theſauriſarunt. In nobis etiam, conſideratione mercedis accendatur amor laboris: feruenter curramus ſtadium, ſi ſperamus brauium.

*Lege S. Auguſtinum tract. 3. in epiſt. Ioan. circa finem.*

Expectant nos beati, & magno affectu aduentum noſtrum præſtolantur. expectant nos angeli, vt eorum ruina reparetur; beati vt eorum gloria compleatur: Deus Pater vt filios & hæredes; Filius, fratres & cohæredes, vt ſanguinis ſui fructum impendat: Spiritus ſanctus qui eſt ipſa charitas, vt eo perfectè fruamur.

TRA-

# TRACTATVS II.

## ACEDIÆ VITVPERIVM.

## CAPVT I.

### Acediæ deſcriptio, diuiſio.

*SVMMARIVM.*

*I. Apud Romanos quinam ex dijs laboris amici. Apud Spartanos armati erant. otioſi puniti.*

*II. Acediæ imago, varia eius deſinitio. vnde dicta &c.*

*III. Bona ſpiritualia triplici modo conſiderata. triplex triſtitia charitati repugnans.*

*IV. Per acediam vt peccetur. quando eius motus ſit peccatum. triſtitia variè conſiderata.*

*V. Acediæ ſex filiæ. hanc diuiſionem adæquatam eſſe latè oſtenſum.*

*VI. Varia acediæ ſigna.*

I. SAnctus Aug. obſeruat quòd Romani multos deos quos credebant homines impellere ad laborem, coluerint, & eis publicas ædes conſtruxerint. Inter deos qui curabant remp. habebant deam Agenoriam, quę homines ad agendum excitaret; deam Stimulam, quæ ad operandum ſtimularet; deam Murciam, quæ prçter modum non mouęret; deam Strenuam, quæ facę-

*L. 4. de ciuit. c. 16.*

Dij gentiũ laboris amici.

Dea Agenoria.

Stimula.

Murcia.

Strenua.

ret ſtrenuos. Sed deam Quietem in vrbem recipere noluerunt, ſed extra portam Collinam ædem ei fecerunt. Nolebant aliquem Deum habere ſecum, qui poſſet deſidiam procurare, populúque labori deditum eneruare.

Apud Spartanos dij armati.

Quin & Charillus roganti, cur deorum ſigna armata omnia apud Spartanos eſſent? Ne probra, inquit, quibus homines proſcinduntur, ob ignauiam in deos conferamus, neque iuuentus deos inermis precetur, vt refert Plut. in apopht. Argiui, ſi aduertebant pigrum aliquem aut otioſum, ab eo victus rationem exigebant. Solon inſtituit, vt quilibet otioſum coram magiſtratu accuſare poſſet. Ægyptij ſeuerè puniebant eum qui vel vnicam diem otioſè tranſegiſſet. Alij plerique rerump. gubernatores, otioſos vel aſperè caſtigabant, vel à republ. procul propulſabant. Diſcant Chriſtiani à gentilibus non ſolùm laborem amplecti, ſed etiam acediam deteſtari.

Otioſi puniti, & è repub. eiecti

*Pag. 8. II.* Acediæ imago.

Quam vt agnoſcamus; in emblematibus Cæſaris à Ripa pingitur acedia, quaſi vetula turpis, malè veſtita, ſedens, capiti incumbens manui ſiniſtræ, innixæ genibus: ex qua dependet charta cum hoc lemmate; Torpet iners: dextra geſtans torpedinem piſcem.

*Refert. Corn. ad Zacha. 5: 7.*

A varijs variè definitur. Alij quidem: Acedia, eſt de virtutum laudabili exercitio vtriuſque hominis languida deiectio.

Varia acediæ definitio.

Alij ſic definiunt: eſt diffidentia de proprijs viribus, & Dei auxilio, quoad ardua bona implenda. Alij: eſt torpor mentis bona inchoare aut perficere negligentis. Acedia, ait Gerſon, inquantum eſt auerſio à bono diuino, ex eo quod graue æſtimatur, tunc dicitur triſtitia: ſed inquantum eſt ſpreto ipſo bono diuino, conuerſio ad creaturam, ſcilicet ad quietem indebitam, ex eo quod leuis æſtimatur & placens; ratione huius dicitur acedia. Inquantum eſt triſtitia, opponitur lætitię ſpirituali: prout eſt & vocatur acedia, opponitur virtuti fortitudinis, quæ, conſiſtit in arduis aggrediendis, & ſuſtinendis aduerſis. Acedia dici poteſt ab acedine, quia per eam anima quandam habet acedinem, quandamque guſtus ſpiritualis indiſpoſitionem de bono diuino ſeu ſpirituali, difficili. Cùm autem dicitur, quòd ſit triſtitia de bono ſpirituali, intelligitur de bono ſpirituali diuino, vel in bonum diuinum ordinato, ea ratione quâ in bonum diuinum ordinatur, cum conſenſu rationis in ipſius boni fuga,

*In compend. Theolog.*

Qua ratione ſit triſtitia.

Acedia vnde dicta.

ſuga horrore, deteſtatione. Quia mentem hominis adeò oportet, pro bono diuino de neceſſitate inhęrere, vt non contriſtetur, fugiat, horreat, ſeu deteſtetur ea quæ ſibi ob Deum imminent facienda. Hæc ferè Gerſon.

*De extinctione vitiorum c.13.* Iacob. Aluarez hanc acediæ definitionem ponit, ex Damaſceno, Caſſiano & Thoma Aquinate collectam. Acedia eſt triſtitia de bonis diuinis ac ſpiritualibus, qua propter adiunctam difficultatem mala noſtra cenſemus, & præ incuria ac negligentia ex ipſa triſtitia naſcente negligimus.

Breuiter, neruoſè & benè Michael Baij in ſuo doctiſſimo, & ſolidæ doctrinæ pleno Catechiſmo. Acedia, inquit, eſt triſtitia de bono ſpirituali vt ad ipſum hominem pertinet. Græcè ἀκηδία, id eſt, ſine cura, ſine labore: quia manat ex fuga & metu laborum, quibus ſpiritualia bona conſequimur. Bonum ſpirituale vocatur hominis beatitudo, & quod ad eam conſequendam ordinatur, vt charitas, virtutum opera, diuina præcepta, Sacramenta & ſimilia. Hæc triplici modo conſiderari poſſunt; 1. vt à Deo omnium authore procedunt. 2. vt in proximis exiſtunt. 3. vt ad nos ipſos pertinent. Cùm charitas ſit gaudere de bono illius quem amamus, & Deum, proximum, & nos amare teneamur; ſequitur nos de bono gaudere oportere, vt à Deo eſt, quatenus eius potentia, bonitas, & ſapientia manifeſtantur: de bono in proximo, qui ad ſuum finem illo diſponitur, vel aſſecutus eſt: de bono quantum in ſeipſo eſt, per quod ad Deum ſuumque finem vltimum ordinatur.

III. De quali bono ſpirituali acedia triſtetur.

Spiritualia triplici modo conſiderata.

Huic triplici ſpiritualis boni conſiderationi, triplex triſtitia opponi poteſt charitati repugnans: quia dolere quis poteſt 1. de bono ſpirituali vt à Deo eſt, quaſi nolens eius gloriæ manifeſtationem, vt in damnatis reperitur. 2. In proximo bonum ſpirituale reperiri, nolens ipſum tali tantoque bono præditum. 3. dolendo ſe talis boni capacem, & faſtidiendo res ſpirituales, optando præcepta Dei, Sacramenta, ieiunia, aliaque ſpiritualia exercitia ad ſe non pertinere. Hæc ſpiritualium rerum nauſea oritur ex nimio pręſentium bonorum amore, & ex laborioſorum moleſtorumque carnis operum executione. Acedia, cùm ex ſuo genere charitati repugnet, ex ſuo genere lætiferum erit.

Triplex triſtitia charitati repugnans.

IV. Per acediā duplici ra-

Duplici modo homines acediā

tione peccatur.

diâ peccant. I. Quando pigrè tardè,& cum triſtitia bona opera aggrediuntur, vt orationes, ieiunia & exercitia ſpiritualia, & in his quæ ſalutis ſunt laborem detrectantes aut faſtidientes. II. Quando bonum inchoatum ex tædio intermittunt: Si omiſſa in præcepto ſint, & ad ſalutem neceſſaria, iam fiet mortale peccatum, cui erat reſiſtendum. Sed non omnis acediæ motus peccatum eſt; cùm ſæpè in viris ſanctis inueniantur aliqui imperfecti motus acediæ. Talis motus eſt quandoque in ſola ſenſualitate ob repugnantiam carnis ad ſpiritum, & ſolùm eſſet veniale: ſi pertingat vſque ad rationem quæ conſentit in fugam, horrorem & deteſtationem boni diuini, carne omnino contra ſpiritum præualente, tunc erit mortale.

Quando acediæ motus ſit peccatum.

Audiamus & Vincentium Belluac. in ſpeculo mor. Triſtitia, inquit, ſecundum ſe mala eſt, quæ eſt de eo quod eſt apparens malum & verè bonum: contrà, delectatio mala eſt, quæ eſt de eo quod eſt apparens bonum & verè malum. Cùm igitur ſpirituale bonum ſit verè bonum, triſtitia quæ eſt de ſpirituali bono, eſt ſecundum ſe mala. Triſtitia etiam quæ eſt de verè malo, mala eſt ſecundum effectum, ſi ſic hominem aggrauat vt eum totaliter à bono retrahat. indè non vult Paulus vt pœnitens maiori triſtitia abſorbeatur. quia ergo acedia notat triſtitiam ſpiritualis boni, dupliciter mala eſt, ſcilicet ſecundum ſe & ſecundùm effectũ.

Triſtitia variè conſiderata.

V. Videamus porrò, qualem fructum producat acedia. Sex eius filiæ ſunt. I. Deſperatio, quâ quis diffidit ſe finem ſupremum conſecuturum. II. Puſillanimitas, quâ conſilia perfectionis exſequi reformidat. III. Torpor quo ea quis negligit, ad quę tenetur ex præcepto. IV. Malitia, quâ ſpirituale bonum odit, optans ea non eſſe, aut pœnitet benè feciſſe: deſiderat ſe non fuiſſe, aut Chriſtum non cognouiſſe. V. Rancor, quo quis inducentes ad ſpiritualia auerſatur & faſtidit. VI. Euagatio mentis, id eſt, defectus intentionis in ſpiritualibus exequendis.

Acediæ ſex filiæ.

Hunc numerum ſufficientem eſſe ſic probat Ioan. Gerſon Cùm iuxta philoſophum nullus diu abſque delectatione poſſit cum triſtitia manere, & acedia ſit triſtitia de bono diuino tanquam de graui & laborioſo, fit vt acedioſus tendat & laboret ad hoc, vt à ſua triſtitia ſe eximat & liberet. Duplici autem via poteſt quis à triſtitia recedere; vel vt à contriſtantibus recedat,

*In compendio Theol.*

An ea diuiſio ſit adæquata.

recedat, vel vt ad alia quibus delectari poſſit, tranſeat: ſicut communiter videtur, quod qui non poſſunt in delectationibus ſpiritualibus gaudere, ſe transferunt ad delectationes corporales. Primò, homo ipſa contriſtantia fugit: ſecundò interdum vltra progreditur, vt illa quæ triſtitiam ingerunt, impugnet. Reſpectu fugæ contriſtantium, bona ſpiritualia de quibus acedia triſtatur, ſunt vel ipſe finis, ſcilicet Deus, vel ea bona quæ ordinantur ad finem. Fuga ipſius finis fit per deſperationem. eorum autem quæ ad finem ſunt, ſi ſint ardua, v. g. quæ ſubſunt conſilijs euangelicis, fuga fit per puſillanimitatem: ſi non ſint ardua, ſed ſolùm quæ pertinent ad communem iuſtitiam, fuga fit per torporem circa præcepta. Quoad bonorum ſpiritualium impugnationem, vel fit indirectè, ſc. contra homines, qui ad ipſa bona ſpiritualia inducunt, & tunc eſt rancor. Si directè ſe extendit ad ipſa ſpiritualia bona quæ contriſtant, in quorum deteſtationem aliquis ex ipſa triſtitia adducitur, tunc eſt propriè malitia. Denique cùm aliquis ob triſtitiam bonorum ſpiritualium ſe ab ipſis bonis ſpiritualibus ad delectabilia exteriora transfert, tunc vocatur euagatio mentis circa illicita. Malitia verò hic non ſumitur vti genus omnium vitiorum, ſed pro particulari malitia, quâ quis bona ſpiritualia impugnat, in quantū ex ipſis contriſtatur. Et rancor non accipitur pro odio, ſed pro quadam animi radicatâ indignatione, quâ quis contra homines ipſum inducentes ad bona ſpiritualia mouetur, in quantum ſc. ipſa bona ſpiritualia illum contriſtant.

*Bonum ſpirituale impugnatur directè vel indirectè.*

*Malitia quid hic ſit*

*Quid rancor.*

VI. Ex dictis, hæc aliaque ſimilia non dubia acediæ ſigna colligere licet: ſc. orare, meditari, ſine animi ſenſu, affectu, fructu: difficulter relinquere hominum frequens & inutile alloquium: ſeipſum vix inſpicere: diffundere ſe ad exteriora, è rebus creatis, aut cogitationibus vanis ſolatiola quærendo: liberè de alijs loqui, dicta factaque reprehendere: omnem diſciplinam intolerabilem iudicare: fugere Sacramentorum vſum: ſibi fidere, & proinde occaſiones mali non vitare: indulgere ſibi: diuinos inſtinctus non aduertere, diſſimulare, differre &c. Nos interim acediam hoc loco conſiderabimus præcisè vt labori inimicam: adeoque maledictam eius ſobolem recenſebimus ac proponemus, vti à Vincentio Belluacenſi, Peraldo, aliiſque recenſentur.

*Varia acediæ ſigna.*

# CAPVT II.

## Acediæ malum.

*SVMMARIVM.*

*I. Ab acedia manant etiam alia vitia capitalia.*
*II. Acedia eſt febris frigida: caro noſtra vera Iahel.*
*III. Acedioſus verè febricitat: acedia guſtum animæ tollit. ſenectuti comparatur.*
*IV. Nouem analogiæ acediæ cum paralyſi*
*V. Ipſa natura acediam abhorret.*

I. Ex acedia pullulant alia peccata capitalia. TAnta verò maledicti huius vitij eſt malitia, vt quidquid vſquam vitiorum, ſola acedia in ſe includere videatur. Hinc enim oritur ſuperbia, dum homo otioſus ſe alijs ſapientiorem exiſtimat, teſte Salomone: *Sapientior ſibi piger videtur ſeptem viris loquentibus ſententias.* (*Prou. 26. 16.*) nemo rigoroſior cenſor virorum Eccleſiaſticorum, quàm homines otioſi & laborum inexperti. Hinc auaritia: quia piger quod parum habet, tenaciter quærit, & aliorum diuitias ſine labore deſiderat. Hinc libido: vt patet in Dauide qui acedia otioque victus cecidit. Hæc Sampſonem perdidit, & Salomonem fœminis aſſentire, idola ad orare fecit. Hinc gula; quia mens otioſa, dum ſe ad ſuperna non erigit, inferiùs per deſideria ſe expandit. Hinc inuidia: quia cùm videt alios bonis abundare, quibus ipſe priuatur, ſeipſum mordet, & ſine labore deſiderat ea habere. Hinc ira: quia homo acedioſus faciliùs recogitat mala verba, iniurias, damna, vt in vindictam inardeſcat.

II. Acedia febris frigida. Hoc vitium à carnis noſtræ malitia adiutum, febris frigida dici poteſt quæ nos totos cõcutit. Sumus intus frigidi, de feruore deuotionis nihil ſentimus, in omni opere bono tepidi, remiſſi, tædioſi: ac ad modũ febricitantium tremimus ac trepidamus timore vbi non eſt timor: quidquid corpori graue eſt, aggredi

gredi

gredi timemus. Et tamen huic morbo multi remedium quærunt à carne ſua. Quid illa conſulit, niſi quod primò occurrit? Lectum mollem & calidum, ſuauiter quieſcere, prolixè dormire, ſolatiola quærere, ſeipſum ſaginare: ita pro ſanitate mortem propinat. Vera Iahel, aquam petenti, lac tribuens. Hæc enim Siſaræ victo & fugienti, & ſedandæ ſiti aquam exigenti, vtrem lactis aperuit, eo hauſto obdormiuit, dormiens interfectus eſt, & perijt. Victus Siſara eſt ſpiritus rationalis hominis pigri, otioſi, carnalis, quem tentatio carnis inuadit, & ad peccatum flectit. Petit à carne deſiderij ſitim ſedari, quæ lac carnalis complacentiæ ad votum promit; ſed ſopitum & dormientem in vſu prauæ conſuetudinis interficit morte culpæ, diſponens ad mortem gehennæ.

Carnis noſtræ malitia.

*Iud.* 4: 19.

Iaheli comparatur.

III. Vti febricitans modò eſt in calore, modò in frigore, modò tremit, modò ſudat; ita carnalis & piger modò eſt in frigiditate torporis, indeuotionis, otioſitatis, non poteſt calefieri vt quid boni velit vel agat; modò eſt in calore concupiſcentiæ, bulliente carnis ſtimulo, modò tremit ad aliquid boni aggrediendum, modò ſudat præ exceſſu cibi & potus. Hæc febris plus guſtum animæ deordinat, linguam limo detractionis onerat: Replet etiam guttur & palatum animæ quadam amaritudine tædij, triſtitiæ, vt ea quæ animam reficiunt, amara iudicentur. Delitiis aſſueto amarum eſt ieiunium & vigilia; otioſo amarus eſt labor & oratio. Non ſentit res vt ſunt, amara vt amara &c. ſcilicet; *non erudietur qui non eſt ſapiens in bono.*

Otioſus verè febricitat.

Febris acediæ guſtum animæ tollit.

*Eccli.* 21: 14.

Et niſi acediæ diligenter & viriliter occurratur, ad tantum languorem deueniet animus, vt acedia excreſcens, velut altera annorum ſenectus ſit futura, animi vires debilitans & conſumens. Vt ſenes virium experiuntur imbecillitatem, tardi ad omnem vitæ naturalis actionem, tardè loquuntur, mouentur, incedunt; ita animus ſenectute per acediam contracta ad virtutis munia ſegnior eſt, cum maximo meritorum diſpendio & ſalutis periculo: quia hic torpor vi ſua omnem ſpiritum penitùs obruere poteſt.

Acedia ſenectuti ſimilis.

IV. Adeòque meritò acediam, ſpiritualem eſſe paralyſim oſtendit Corn. I. Paralyſis oritur ex frigore & craſſis lentiſque humoribus, cùm illi neruos obſident, ſic vt impediatur tranſitus ſpirituum vitalium & animalium ad ſenſuum inſtrumenta, quo fit vt motus & ſenſatio impedia-

Analogiæ acediæ cum paralyſi. *In Mat. c.* 9.

Defectu charitatis fit homo inſenſibilis ad diuina.

impediatur: ita acedia ex ſpirituali frigore & defectu charitatis oritur, per quod homo fit inſenſibilis ad diuina, & immobilis ad bona opera.

Paralyſis eſt neruorum reſolutio. Si in cerebro ipſo læſio incidat, ſtatim omnibus partibus homo impotēs inſenſibiliſque efficitur. Si in omnes corporis neruos, illico totum corpus ſenſu motuque priuat, ac mortem celerem reſpirationis priuatione infert. Acedia omnes animæ vires ſic occupat & torpefacit, vt ad omnia pietatis officia impotens videatur, itaque certam animæ mortem per peccatum inducit.

Acedia animæ vires torpefacit.

III. Paralyſis in corpore ſequitur ad dominium phlegmatis: eadem eſt paſſio atræ bilis ſiue melancholiæ. Acedia oritur ex phlegmaticis & fluidis carnis voluptatibus, ex fluxu luxuriæ, & melancholicis cogitationibus & affectibus, qui in, moroſa ſuperbiæ, iræ, luxuriæ, vindictæ deſideria, hominem etiam neſcientem inducunt.

Prauis affectibus hominem obruit.

IV. Paralyſis eſt totius corporis apoplexia: acedia facit, vt anima viuat quaſi mortua & apoplexia icta videatur.

Animam vt mortuam efficit.

V. Ad paralyſim tendit pulſus ſtupidus: ita cum homo nullum rerum ſpiritualium habet ſenſum aut pulſum, ſignum eſt inſtantis acediæ ſummæ.

Ad ſpiritualia ſtuporē incutit.

VI. Paralyſis facit corpus ponderoſum: acedia mentem efficit grauem, & in malum procliuem.

Mentem grauat.

VII. Paralyſis, maximè dicitur contingere ſenibus, & in hyeme, ac pluuiarū multitudine: acedia veteranos inuadit, cum nouitius ardor deferbuit. Longitudo temporis parit laborum tædium, præſertim cùm feruor charitatis cum ætate intepuit, & cogitationum variarum ſenſualium, vt pluuiarum multitudine obruitur.

Veteranos quærit.

VIII. Paralyſim & apoplexiam fortem curare videtur impoſſibile; leuem difficile: idem dicas de acedia & triſtitia.

Curatu difficilis.

Paralyſim curant aut minuunt res calidæ, item exercitium corporale: acediam ſuperat charitas, id eſt, Dei amor & feruor, item exercitatio tum corporis, tum mentis.

Quo ſuperetur.

Minus iſta mirabitur, qui aduerterit, ipſam naturam otium, acediamque abominari; quia tolerat in terra animalia venenoſa, ſerpentes, ſcorpiones, baſiliſcos, tygres, etiam animalia viliſſima & hominibus moleſtiſſima; ſed omne otioſum refugit. Ideo philoſophi dicunt, naturam potiùs permiſſuram vt cælum & terra rueret, quàm admitteret vacuum dari, quia in eo nulla eſſet operatio. Ecce,

V. Natura acediam abhorret.

ſol

ſol & ſtellę non quieſcunt, quotidie motum & curſum perficiunt, vt homini iuxta Dei voluntatem deſeruiant. Herbæ & arbores folia, flores, fructus proferunt, & hoc in alienam vtilitatem: animalia irrationabilia non parcunt laboribus; & homo complicatis manibus dicere audebit, ſe deſiderare Dei gratiam ſuamque ſalutem?

# CAPVT III.

## Latum acediæ dominium.

### *SVMMARIVM.*

*I. In omni ſtatu acedia præualet. laicorum inertia notata.*

*II. Acedia in Eccleſiaſticis deteſtanda. ad quid teneantur. tepiditas quandoque caſtigata.*

*III. Per acediam aliis vitiis viam faciunt. ſacerdotes ſatis habent vnde torporem excutiant. torpor quid mali creet.*

*IV. Acedia, dæmonium meridianum. doctrina Sancti Ephrem ad eam repellendā, & hoſtis inſidiis reſiſtendū.*

*V. Tepidi in diuino officio notati. mores acedioſorum deſcripti.*

*VI. Feruor ſæpè in teporem verſus: qui ſibi videtur innocentior, tantò in virtute ſit ardentior.*

*VII. Duodecim mala, ex acedia clauſtralium manantia.*

*VIII. Acedia ſæpè ſub ſpecie diſcretionis, humilitatis, deuotionis decipit: eius larua detegitur.*

Maledictum acediæ vitium, licet non omnes expugnet, omnes tamen oppugnat. Corruptibile corpus & inhabitatio terrena aggrauat animum, & caro concupiſcens aduerſus ſpiritum, virtutum exercitia refugit. Nemini dictum

 eſt,

eſt, ait quidam ſanctus pater; nauiga ne moriaris, & diſtulit: nemini dictum eſt; labora, ne moriaris, & perger fuit. Leuia iubet Deus vt æternùm viuamus, & obedire negligimus. Sanguineis lachrymis deplorandum, quod in omni ſtatu tanta ſocordia & negligentia in omni virtutum exercitio reperiatur.

I. Acedia in omni ſtatu fœdè dominatur.

Laicos vtriuſque ſexus, acedia videtur excæcare & ſurdos efficere. Ad virtutum actus repunt, omnia ad ſalutem ſuam Deique ſeruitium pertinentia oſcitanter peragunt; & tamen intellectu cæci miſeriam ſuam non agnoſcunt: imò quantumcumque remiſſè agant, certò ſibi cælum ſpondere audent. Multi vanæ rerum pereuntium curæ immerſi, paruam Dei eorumque quæ ad ſalutem pertinent, cognitionem habent: pauciſſimi qui ritè perpendant, quantum Deo debeant. Multi in ſeruis & ancillis modicum negligentię carpunt, & quàm negligenter ipſi Deo ſatisfaciant non attendunt: quaſi verò ipſi poſſint Deo ſoluere, per hoc quod nollent in ſibi ſubditis tolerare. Multi verbum Dei, alicuius correctionem aut monita cùm tædio audiunt, fiuntque vt idola, quæ manus habent & non palpant, pedes habent & non ambulant: cùm ipſi pigri ſint & torpidi, non putant ab alijs poſſe fieri, quod ipſi facere non poſſunt, & ex ſua infirmitate de aliena virtute iudicium ſumunt: interim ad mundana omnia valdè intenti.

Laici per acediam excæcari & ſurdeſcere videntur.

De viris Eccleſiaſticis quid dicam? ſi enim acedia in ſecularibus deteſtanda, cogita quàm abominabilis eſſe debeat in ijs qui ſe Dei ſeruitio addixerunt. Ambulare in via Dei ſecularium eſt, currere Eccleſiaſticorum. Ambulans poteſt alia ſimul curare, currens ſoli curſui attendere poteſt: ſeculares tractant quæ ſunt mundi, nos liberiùs Deo vacare poſſumus. Sacerdos eſt, aut eſſe debet, phiala excellens aquæ præſtantiſſimæ, Euangelicę doctrinæ: populi horologium, itineris ductor, bonorum diſpenſator, theſaurorum ærarius, fax quæ lumen & ſplẽdorem impartitur, fons vnde quiſque haurire poſſit. Sciunt qui in Eccleſia ſupra candelabrũ poſiti ſunt, & alijs præſunt, ſpeculatores domus Iſrael; cum donis etiam rationem reddendam creſcere: adeoque, tum ſubditis continui & fructuoſi laboris exemplar ſeſe ſtatuant; tum vel maximè curent, ne ipſorũ ſimulatione & tepiditate paulatim abuſus & vitia irrepant, quæ dæmonis aſtu vbique zizaniã ſemi-

II. Acedia in Eccleſiaſticis deteſtanda.

Sacerdos qualis eſſe debeat.

Paſtores ad quid teneãtur.

nante radices agentia, ſera remedia vix admittant, & euelli nequeant.

Quam verum ſit illud; *Principijs obſta.*

*Cant.* 5: 6.

Cornelius in illud: *Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo; at ille declinauerat atque tranſierat.* inter varios ſenſus myſticos, illud capit de Chriſto & Eccleſia: & dicit quod Eccleſia peſſulum Chriſto aperuit cùm Paſtores torporem excuſſerunt, & iuxta Chriſti voluntatem ſtrenuè laborarunt in conuerſione hæreticorum, infidelium & prauorum fidelium: at Chriſtus iam declinauerat atque tranſierat, quia ſcilicet inualeſcente Arianiſmo & impietate, ex eo quod paſtores ſtatim totis viribus vt debebant ſe non opponerent vt ſcintillam hanc ſuffocarent, Chriſtus ad eorum pœnam permiſit, vt orthodoxi tardiùs ſe illi opponentes, ſcintillam hanc extinguere nequiuerint, illaque in magnum proſerpſerit incendium, quo totus orbis conflagrauit: in quo reſtinguendo per plures centenos annos laborauit Eccleſia, nec tamen ita extinxit, quin adhuc in Tranſiluania, Polonia, & alibi reliquiæ ſuperſint. Idem ſæpè contigit ſequẽtibus ſeculis, quibus Deus nouos fideliũ defectus & vitia per nouos pſeudoprophetas caſtigauit, vt anno 600. per Mahometem, cuius ſectæ ſcintilla quia initio non eſt reſtincta, ſenſim graſſata magnam orbis partem accendit; quod nulli tunc in oriente extiterint viri eximij in ſanctitate & doctrina qui ſe illi opponerent, vt obſeruat Bozius.

Ariani cur inualuerint

Tepiditas mirabiliter caſtigata.

*De ſignis Eccleſ. l. 9. c. 4.*

III.

Multi torpore viam aliis vitiis faciunt.

Porrò, quot ſunt Sacerdotes in Eccleſia Dei, qui pingui aliquo beneficio (aut pluribus, quod horret animus) ineſcati, totos ſe inertiæ & torpori tradunt, eoque modo cuique vitio viam aperiunt? Caluinus lauto beneficio donatus, cùm otio Sodomiticam fœditatem didicit: quin & hæreſin addens, Eccleſiam plus quàm omnes alij hæreſiarchæ conſpurcauit. Atque vtinam plurium exempla non ſuppetant, de quibus dicas: *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit: incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum, & receſsit à Deo ſalutari ſuo.* Alij ſe ſatisfacere putant, (e ſi venationibus aliiſque recreationibus & delitiis ſe apprimè dedant) modò celebrent, & horas ſibi iniunctas perſoluant, quantumuis raptim & oſcitanter id fiat.

Caluini exemp.

*Deut.* 32: 15.

Væ nobis, ſi tot ſalutis media Deus nobis fruſtra obtulerit! Puto ego Sacerdotes non alio egere virtutis incentiuo, & vt quotidie ad amaras vſque lacrymas compungantur, quàm quo-

Sacerdotes ſatis habent vnde torporem excutiant.

quotidianum illud horarum officium, in quo præter alia, continentur Pſalmi Dauidici omni ſuauitate doctrinaque cæleſti pleni, & ad ſingulare noſtrum ſolatium à Spiritu S. dictati. Sed multi, proh dolor! *Volunt longa conuiuia, & breues gratias; garrulationes diuturnas, & breues horas, ſomnũ infantis, & Miſſã venãtis*, ait Meffreth. infans enim ſomno nutritur, cui & illi indulgent. Iudæi etiam tædio affecti carnes poſcebant in deſerto: ſed quid? *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.* videamus nos, ne poſt eſum panis angelorum, ſcilicet Corporis Dominici, acedioſi ſimus, ſed bonis operibus intenti.

Nota, quid inertes quærant.

*Serm. 3. de Paſcha.*

*Pſal. 77: 30.*

Verùm dum differunt exercere actus charitatis, miſericordiæ, orationis, patientię &c. torporem & ſoporem quendam contrahunt, quoad omne bonum fiunt inhabiles & pigri, inſuper penuriam gratiæ, conſolationum omniumque donorum ſpiritualium incurrunt, vt verum fiat illud: *Anima diſſoluta eſuriet.*

Torpor quid mali creet.

*Prou. 19: 15.*

IV. Quin etiam vſque in abdita monaſteriorum penetralia ſe inſinuat teterrimũ illud vitium. Caſſianus acediam vocat dæmonium illud meridianum, quod præſertim circa meridiem omnibus fidelibus, ſed præcipuè monachis inſidias parat: tum ob inediam quæ illa hora affligit corpus, aut illud ciborum abundantia grauat, tum etiam propter calorem & feruorem diei, quibus corpus ad pia opera exercenda videtur ineptum.

Acedia etiã monaſteria penetrat.

*Lib. 10. c. 1.*

Eſt dæmonium meridianum.

S. Ephrem Nouitios ſuos rogat, ne in opere manuali tædium concipiant, ſed diligenter inſiſtant. Si obuenienti acediæ, inquit, reſiſteret frater, operando & ſe exercendo, tunc acediæ ſpiritum diuinæ gratiæ auxilio repelleret. Nã ingruente ipſi acedia, non reſiſtit ei per patientiam: ſtatim enim cogitationem laxans incipit ſecum dicere. Hodie quaſi diſſolutum ac læſum me eſſe ſentio, & minus valeo: hodie otiabor vt paululum meipſum reficiam, & cras opus meum perſequar, faciamque duorum dierum opus: interea in otio verſatur. His alijſque verbis Sanctus ad laborem & diligentiam ſuos excitat, & ne acediæ dæmonique ignauiam & deſidiam ſuggerenti locum præbeant; ſed omni potiùs conatu illis reſiſtant, ingruentes acediæ cogitationes mox à ſe repellant, nec ſe otio dedant, seriò hortatur.

*Tom. 2. paræneſi 23.*

Doctrina S. Ephrem ad repellendam acediam.

Poſtea qua ratione omni ſtudio & vigilantia inſidijs diaboli

Vt dæmonis inſidijs ſit reſiſtendum.

boli reſiſtere ſemper oporteat, oſtendit. Et paræn. 8. ad eoſdem ſic loquitur: *Opus manuũ nõ negligas. Nam ſæpè tibi cogitatio ſuggerit dicens; nunquam manuale iſtud opus addiſcere poteris, debilis enim es, & operis huius labores ſufficere in finem vſque nequibis. Nam ecce tua membra præ labore defatigari ac frangi cœperunt, non enim laboribus es aſſuetus. cæterum tranſiens, abi vnde veniſti: nam & ibi, inquit, ſi timere Dominum Deum volueris, ſaluari poteris.* Et poſtea: *Suſtine ô dilecte à Domino. Nónne ſi literas diſceres, vexationem ſuſtineres? quòd ſi opificium aliquod ſeculi, nónne laborem ſubires? ſed nónne magis cuncta propter Deum ſufferre debemus? Scriptum quippe eſt: labores palmarum tuarum manducabis, beatus es, & benè tibi erit. Et Apoſtolus admonet dicens; operantes proprijs manibus quod bonum eſt: vt ſcilicet non ſolùm vobis ipſis victum laborando curetis, ſed etiam ex proprijs laboribus habeatis, vnde neceſſitatem patienti tribuatis.*

Cogitet religioſus quòd in ſeculo ſine labore non viueret.

V.

*Serm. 6. ad Nouitios*

Acedioſi in diuino officio grauiter taxati.

Thomas à Kempis grauiter taxat indeuotè pſallentes, & acedioſos in diuino officio: *Valdè grauiter Deum offendunt, pigrè ſurgendo, tardè ſæpiùs veniendo, tepidè pſallendo, verba corrumpendo, crebriùs oſcitando, vagè circumſpiciendo, malè aduertendo, negligenter inclinando, de longitudine pſalmorum attædiando, & ad finem feſtinando. Gaudent ad ſonum refectorij, horrent ſignum capituli: properant ad fabulas, tardè intrant ad ſacellũ, languent ad opera, feruent ad fercula benè parata.* Addit poſtea exemplum cuiuſdam fratris, qui cùm parum cantaret, & illi aſtans vocem non audiret, obiecerit ei quod tunc temporis in matutinis cantabatur; Simon dormis? ille verbo commotus, & in ſopore ſe notatum deprehendens, expauit monentem.

Vnum verbum cuidã inertiam excutit.

Et in doctrinali iuuenum ſic ait: *Frater acedioſus, quaſi ſemper infirmus, vltimus ferè in omni loco & horis, otio & ſomno deditus. Tardè ad opus venit, citò inde recedit, pronus ad exitum, ſegnis ad reditum, lætus ad prandium, triſtis ad ieiunandum: velox ad dormiendum, piger ad ſurgendum, raucus ad cantandum, ſonorus ad fabulandum, ſurdus ad obedienaum, claudus ad laborandum.* Etiam S. Nilus abbas monachum acedioſum ſic deſcribit: *Oculos ad feneſtras conuertit aſſidue, & ſemper de inuſſentibus cogitat. Crepant fores, & ille exilit. Vocem audit & per feneſtram deſpicit, nec indè recedit priuſquam deſidens marceſcat. Dum legit identidem oſcitat, & ſomno facilè capitur: confricat palpebras, & manus extendit: oculos auertit à libro atque defigit in pariete, eoſque rurſum reuocans paulìſper legit,*

*Cap. 10.*

Mores acedioſorum deſcripti.

*Orat. 6. aduerſus vitia.*

*git, & orationum fines explicans inaniter laborat, folia numerat, quaterniones recenſet ſummiſſa voce, literarum formas atque ornatum improbat, tum plicat librum & capiti ſupponit, & ſomnum dormit haud ſatis profundum. &c.*

VI. *Serm. de verbis Domini Venite ad me omnes &c.* Feruor multorum in teporem verſus.

I. Gerſon etiam obſeruat nonnumquam fieri vt qui in pueritia ad conuerſionem venit, frigeſcente poſt nouitij feruoris igniculo, vertatur in teporem, & qui quotidianis virtutum incrementis gratiam ſibi apud Deum & homines comparare debuerat, vituperium ſibi magnum conquirat. Impatiens ad ieiunia, ad vigilias ſomnolentus, ad orandum tepidus, indeuotus ad pſallendum: aliiſque Chriſti militibus mundo, carni, diabolo ad ſanguinem reſiſtentibus, ipſe ſibi in omnibus requiem quærit tam acedioſus quàm otioſus. & tacitè ſibi dicit; quid ego luere habeo? vt quid ita rigidè diſtrictéque vitam ſicut illi magni peccatores, raptores, iniuſti, adulteri? huic ita reſpondet: *Quantò es innocentior, tantò eſſe ſeruitio Dei debes ardentior, vt vel in ſanctitate & iuſtitia ab ipſo cuſtodiaris, vel vt cuſtoditæ ſanctitati vberiùs regratieris. Non perpendis quia cùm alij ſibi dimidiant dies ſuos vt qualecumque veniam obtineant, tu tuos integros ſeruas, vt gratiam & gloriam tibi ampliorem acquiras. Quid ſi internus arbiter propter hoc tibi innocentiam tuam conſeruare voluit, vt pondere peccatorum prægrauatum fratrem tuum collaborando, & onus eius tibi partiendo iuuares? Nónne cùm propter tuam deſidiam impeditur hæc bona Dei voluntas, per increpationem audire dignus eris; Amen dico tibi, qui publicani & meretrices præcedent te in regno Dei? vel potius timendum eſt, ne illud tibi maledictionis elogium infligatur; Nunquam ex te fructus naſcetur in perpetuum.* Hæc omnia magnus ille doctor.

Pharisaica & falſa iuſtitia.

Quantò ſibi quis videtur innocentior tantò in bono conetur eſſe ardentior.

VII. *In ſumma vitiorum l. 2. de acedia, c. 17.* Mala acediæ clauſtralium.

Ceterum Peraldus docet ex acedia clauſtralium hæc mala oriri. I. Quod licet die ac nocte in ore habeant cibum regiũ qui de ore Dei procedit, id eſt, verbum Dei; tamen ex pigritia terendi eum, famelici manent: inter aromata nocte & die verſantur, & tamen ex pigritia applicandi olfactum odore eorum non confortantur.

Habẽt cibũ regium, & famelici ſũt.

Contempti loquuntur cum Deo.

II. Quod cùm ipſi ſint nocte dieque in colloquio cum Deo, permittunt tamen multos dies tranſire quod non aperiunt oculos cordis, vt videant quis loquatur cum eis, & quid loquatur.

Diu religioſi & magis diſſoluti.

III. Quòd non proficiant in his quę religionis ſunt, imò quantò diutiùs in religione ſunt, tantò magis diſſoluti ſunt: ſicut

ſicut illi qui diu in ſcholis ſunt, & in ſcientia nō proficiunt. illos nō iuuat aſſuetudo vt meliùs faciant ea quæ ſunt religionis, ſed potiùs nocet; quia quantò orant diutiùs, tantò indeuotiùs.

Diu religioſi, & de gratia muneris certi.

IV. Quod quantò diutiùs Deo ſeruiunt, tantò minus certi ſunt, quòd habeant gratiam ipſius. Verè, dolere poteſt, qui mundum reliquit vt Deo ſeruiret, & poſtquam diu ſeruiuit, nullam cum eo familiaritatem contraxit. Interdum tamen Dominus minus bonos conſolatur, tanquam qui propriis expenſis non ſufficiunt ei ſeruire, & meliores inconſolatos relinquit, vti fortiores, & qui proprijs impenſis ipſi ſeruire ſufficiunt.

In paupertate delicati.

V. Quod quantò diutiùs in camino paupertatis exiſtunt, tantò delicatiores ſunt. Caminus vaſa lutea conſolidat, ſic paupertas clauſtrales illos qui molles & delicati erant in ſeculo conſolidare debet, ſed multi potiùs diſſoluuntur.

Soli iuſtitiæ propinqui, tamē frigidi.

VI. Quantò diutiùs ſoli iuſtitiæ approximarunt, tantò frigidiores exiſtunt. Timendum ne nubes peccati interpoſita hoc impediat, vt cùm progredi debeant, regrediantur, & cùm appropinquare deberent terræ promiſſionis, ab ea elongantur.

Macilenti, vbi poſſent saginari.

VII. Quantò diutiùs ſunt in loco ſaginationis ſpiritualis, tanto magis macilenti inueniantur.

Tardi vbi debent volare.

VIII. In ſtatu in quo non ſolùm currere, ſed volare deberent vti aues ſpirituales, tardi, & pigri efficiuntur. qui ſtrenui erant in ſeculo, ſæpè deſidioſi efficiuntur in clauſtro.

In loco pugnæ ſecuri.

IX. In loco vbi eſt maior conflictus, ſecuri & ſomnolenti efficiuntur. hos præcipuè dæmon perſequitur: vt illis neceſſe ſit ſemper cum timore & ſollicitudine ſalutem ſuam operari.

In loco laboris, otioſi.

X. Volūt eſſe otioſi vbi minimè locus eſt otij. Si quis toleret arbores ſteriles in terra ſua deſerta, tamen in terra benè culta non tolerat. Clauſtrum eſt hortus concluſus; vnde minus illic tolerandi ſunt homines otioſi, arbores ſteriles.

Imparati omnia differunt.

XI. Ibi procraſtinant & differunt, vbi deberent omnino eſſe parati.

Triſtes, vbi gaudendū eſt.

XII. Ibi præcipuè triſtes ſunt, vbi præcipuè & meritò gaudere deberent.

VIII. Acedia multos decipit ſub ſpecie virtutis. Scilicet diſcretionis.

Non finio, niſi prius monuero, quòd acedia etiam ſub ſpecie virtutis multos decipiat. Erunt enim qui dicent, quod in ſtrenuo quopiam opere ſe libenter exercerent, niſi metam diſcretionis & naturalis virtutis excedere timerent: ita ſub ſpecie

cie diſcretionis ſe occultat. Deindè, ſub ſpecie humilitatis, in iis qui dicunt, quod libenter feruentiùs orarent, & operibus pietatis inſiſterent crebriùs, niſi fauorem humanæ laudis, & propriam complacentiam timerent. Denique ſub ſpecie deuotionis & feruoris, in illis qui dicunt; ideo ſe intermittere quarundam virtutum exercitia, ad quod requiritur exterior occupatio, vt intimæ contemplationi, & feruore deuotionis eò ampliùs in Deum exardeſcant.

*Humilitatis.*

*Deuotionis.*

Sed hæc fugat ſpiritus fortitudinis. Quoad primum, multi debiliores fortè, eò magis ardua Deo cooperante agunt, & in eius adiutorio firmiter ſperant, qui per ſuam gratiam eos confortare poterit. Quoad ſecundum: ſi ad opera publica teneatur; ex neceſſitate aut charitate fiet. Si ex neceſſitate, v. g. doctori incumbit veritatis doctrinam in publico docere: tunc ob incidentem complacentiæ timorem non omittat: ſed ſi tentet, viriliter & fortiter mentem auertat, dicatque; propter te non incœpi, nec propter te dimittam. Si ſolùm aſtringatur ex charitate, aut voluntatis arbitrio, poterit priuatim ſe exercere, & acquirere habitum, quo firmatus animus complacentiam non timeat. Quoad tertium, orationi & exercitio externo ſuum cuique tempus. ad quædam obligamur neceſſitate præcepti diuini, vel ſtatuti Eccleſiæ, quæ omitti non poſſunt ob quamcumque contemplationem v. g. laudes debitas perſoluere: Corpori Chriſti reuerentiam exhibere ſuo loco & tempore, aliaque ſimilia.

*His latuis fortitudo opponitur.*

*Ad primum reſpond.*

*Ad ſecundum.*

*Ad tertium.*

CAP.

# CAPVT IV.

## Otium, acediæ filia.

### SVMMARIVM.

*I. Otij etymon. Fortunæ ſimulacrum apud Romanos, eius feſtum ab otioſis celebratum.*
*II. Validi mendicantes per leges vndique expulſi. ingenioſum cuiuſdam mendici commentum: leges Belgicæ.*
*III. Otioſus carnes ſuas comedit. eius imago vrſus.*
*IV. Otium corpus extenuat. vt ſit peccatum.*
*V. Virtuti contrariatur, tempus conſumit, regna vaſtat, fortes eneruat, hominem omni bono ſpoliat.*
*VI. Tres ſtultitiæ gradus, otioſorum ſtultitia.*
*VII. Otium infidelium, peccatorum, & aliorum Chriſtianorum, quale.*
*VIII. Proximo benefacere eſt ſalubriter laborare. otioſi increpantur.*
*IX. Qui tempore gratiæ otiantur, magis reprehenſibiles, quàm qui olim. otij mala, exercitij bona.*

I. Otium, vt hîc ſumatur.

NVnc demum maledicta acediæ ſoboles recenſenda. Otium, licet quandoque ſumatur pro exercitatione leuiore animi vel corporis, à grauioribus & magis ſerijs negotijs; tamen hîc intelligemus vacationem à labore, cuius contrarium negotium eſt. Verè multi otioſi ſunt, laborem omnem abhorrentes, ſiue corporis intelligas, ſiue mentis.

Fortunæ ſimulacrū. Lib. 9. c. 12.

Fortunę ſimulacrum apud Romanos tale fuit, deſcriptum à Bozio: Ærea ſtatua mulieris habens ſub pedibus globum: quo innuebant vel quòd eſſet mundi domina, vel quòd inſtabilis, malè tuta, & prolapſioni obnoxia, dextera manu nauis gubernaculum, ſiniſtra copiæ cornu geſtabat: priori volebant, in eius poteſtate eſſe curſum humanarum actionum, vt gubernacu-

 lum

lum habet vim vertēdi nauem; poſteriori, omnium bonorum affluentiam ab illa dari, quibus vult & fauet. In capite, criſta 4. pennarum quâ ſignificabatur eius leuitas & inconſtantia: & etiam deitas, more Ægyptiorũ, qui in capite idoli Eneph, pennam pingebant vel inſculpebant, innuentes Deum inuentu difficilem, neminique viſibilem. Porrò, idem Bozius ſuprà notat,

Otioſorum ſacrificia. Fortis Fortunæ feſtum ab ijs præcipuè celebratum fuiſſe, qui nulla arte victitabant, ad 8. Kal. Iulij, vt in antiquis faſtis notatur.

II. Validi mēdicantes. In eorum numero recenſendi homines qui validi mendicantes appellantur, vitam otio & inertiâ tranſigentes, qui ſe aliorum labore ſuſtentant, & verè egentibus alimenta ſurripiunt: vt eos meritò iura tum diuina, tum humana è republ. arceant, tanquam inutilia terræ pondera. De his intellige illud Deuteron. 15: 4. *Mendicus non erit inter vos.* Dicere poſſumus eos prohiberi omnibus ijs locis, quibus otium & inertia vetatur.

Mendici an fuerint apud Iudæos. Alioqui mendicos fuiſſe apud Iudæos liquet ex hiſtoria Lazari, cæco ſecus viam mendicante, claudo ad portam templi à Petro ſanato. Platonis lege cautum erat: Mendicus nullus in ciuitate ſit: ſi quis hoc facere

*L. de legibus dialog.* 11. Vndique expellendi.

tentauerit, ex foro ædiles depellant, ex ciuitate vrbis curatorum magiſtratus, ex reliqua regione agrorum curatores extra fines expellant, quo regio ab huiuſmodi animali pura fiat. Carolus Magnus quadam conſtitutione vetuit mendicis palantibus quidquam tribui: ſuos quamque regionem inopes alere, ſanos & validos labore victum quærere.

Conſtitutio Caroli Magni.

Eſt notabilis hiſtoria, quam refert Iodocus Damhouderius: Cùm Gandaui, inquit, cum aliquot Senatoribus Brugenſibus ſederem ante portam domus ſenatoriæ, mendicus quidam gemebundus, plorabundus, miriſque modis Iri paupertatem ſimulans, eleemoſynam petit: habere ſe latens vitium ac malum prædicat, quod pudor illum hominum conſpectui exhibere deterreat. Ipſius miſeriti ſinguli mendico eleemoſynam largimur. mendicus à nobis digreditur. Vnus noſtrûm iubet famulum ſuum hunc mendicum inſequi, & propius quid latentis vitij haberet, perquirere. Paret is mandatis, mendicum rogat, quódnam ſit illud latens vitium quo ſe laborare dicebat, inſpicit faciem, videt pectus, videt brachia, omniaque nitentia & valida comperit. Nihil, inquit famulus, in te mali video.

Ingenioſum mendici commentum.

Ah,

Ah, inquit mendicus, longè aliud eſt malum quod me premit, quodque à tuis obtutibus remotum eſt, nempe tale malum quod per vniuerſum corpus meum ſerpſit, quod per venas ac medullas ita graſſatur, vt nullum ſit mihi corporis membrum quod ſe laboribus occuperi tradere valeat. Hoc malum vocari audio pigritiam & deſidiam. Famulus ſtomachabundus diſcedit, ad ſuos redit. Rogatur quod fuerit illud latens malum. Famulus, vt à mendico edoctus fuit, rem explicat, cognitum illud latentiſſ. malum, quod multos alios premit, aperit. Reſponſum cum riſu excipitur. mox perquiritur mendicus, verùm aliò ſe ſubduxerat.

Leges Belgicæ de validis mendicantibus.

Quoad leges & edicta Belgicæ noſtræ quæ otioſos etiam proſequuntur, ea breuiter & exactè recenſet vir clariſſimus & doctiſſimus Franciſcus Zypæus Iuriſconſult. huius æui gemma, in ſua Notitia iuris Belgici, l. 11. vbi hæc inter alia: Extranei & qui annale domicilium non habuerunt, intra octo dies excedant, ſub pœna fuſtigationis & ſtigmatis dorſo imprimendi, aut arbitrariæ: ſi armati ſint graues, ſi vi vſi etiam fuerint, ſi incendium minati, igne puniantur. Oberrent Officiarij ſæpè in nundinis, encæniis, nuptiis, hoſpitalibus: huiuſmodi errones perſequantur, apprehendant, puniant, ſub pœna priuationis officij, inhabilitatis & damni exinde illati: priuati etiam apprehendere poſſint, & officiarij in alieno diſtrictu, ſed apprehenſos loci officiario conſignent, vtique puniendos. Officiarij, ſaluum conductum dare, aut conniuere nequaquam poſſint. Reſiſtentes ad campanæ ſonum apprehendantur: & ſi mutilari aut occidi contingat innoxium eſto. Otioſi, etſi non mendicantes incolæ vel externi, inquirantur, vnde viuant niſi aptè reſpondeant, carcere includantur, & diligenter de iis inquiratur. Otium inexcuſatum ſufficiens ſit ad torturam indicium &c. plura inuenies loco citato.

De otioſo loquitur Sapiens cùm dicit: *Stultus cõplicat manus ſuas, & comedit carnes ſuas.* (Eccl. 4: 5.) vbi relictis aliis ſenſibus, mihi placet Hugo Victorinus, ſic explicans: *Otioſus putat ſe corpori ſuo parcere, quia illud laboribus non affligit: ſed inde caro eius egeſtate conſumitur, vnde otium nutritur: paſcit enim eum ſtultitia ſua. Sed quantum otioſitas ſua impinguat, tantum ſubſequenti inedia maceratur. Ideo comedit carnes ſuas:* Huius imago videtur in vrſis, quæ initio hyemis

III. Otioſus vt carnes ſuas comedat.

Eius imago vrſus.

hyemis & fœturæ ac partus tempore latitant in ſpecubus, & cùm primis diebus bis ſeptenis graui ſomno premantur, mirum in modum veterno pingueſcunt: poſtea mas fert per menſem, fœmina quaternis ferè menſibus priorum pedum ſu-
L. 8 c. 38. ctu viuunt, ait Plinius, ita otioſus licet videatur otio ſomnoque pingueſcere, tamen poſtea ſuorum brachiorum ſuctu viuit, id eſt, comedit carnes ſuas. & quidem hyemis tempore, quia licet dicatur mendicaturus in æſtate, qui ob frigus arare noluit; tamen idem iubetur ire ad
Prou. 6: 6. formicam quæ parit in æſtate cibum. Ergo otioſus & hyeme & æſtate inediâ tabeſcens comedit carnes ſuas.

IV.
Ipſum otiū corpus extenuat.

Aut dicamus, quod otium ipſū extenuet, tabefaciat & abſumat corporis vires. ſicut enim corporis exercitatio bonam valetudinem tuetur, & corpus benè nutrit; ita otium eneruat, & ſucculentum extenuat corporis habitum. Aqua quæ caret decurſu, putreſcit, & humano vſui fit inepta, imò animalibus venenatis & noxiis plena: ita cor-
Similitudines. pus otij tabe confectum, concupiſcentiarum carnalium parit fœditatem. Viæ non tritæ ſilueſcunt, inſtrumenta muſica quæ non pulſantur, deſtruuntur: equus generoſus in ſtabulo quieſcens marceſcit. Periculoſum eſt homini, cuiuſcumque ſtatus fuerit, quod ſit otioſus. Non miror quòd Euam dæmon deceperit, quando eam otioſam inuenit.

Nec ſolùm corpus eneruat otium, ſed etiam animam inficit. I. Si otium peccatum non Otium v[ere] ſit pecca[tum]
eſſet, magnus ille paterfamilias Matth. 2[0]. 6.
otioſos non reprehenderet. II. Peccatum à Deo punitur, ſicut bonum remuneratur: otioſus autem puniendus dicitur, cùm arbor quæ non fecerit fructum bonum iubetur exſcindi, & in ignem mitti. atqui otioſus Math. 7. 19.
eſt arbor ſine fructu. Denique inter peccata Sodomæ ponitur; *otium ipſius & filiarum eius*. Ve- Ezech. 16. 49.
niale peccatum eſſe poteſt, cùm quis quieſcit & delectatur in aliquo bono delectabili creato, tamen non contra Deum: ſed mortale erit, ſi quies in aliquo bono commutabili præponatur bono incõmutabili, id eſt, Deo. Ita otioſus, eo tempore quo ſub præcepto ad opus tenetur, grauiter delinquit.

V.
Quantum ex otio mali.

Plura etiam mala otium conſequuntur. I. Hinc virtutum diſplicentia. nam cùm opera virtutis ſint difficilia & laborioſa; otioſitas verò ſit tepida & laboris impatiens; virtuti contraria eſt, quia inimica diuino amori, à quo omnis virtus formatur.

Virtuti contrariatur.

matur, quia amor Dei nunquam eſt otioſus, & ſi operari renuit, amor non eſt: ſi Dei amor cum otioſo non eſt, nec alia virtus cũ ipſo eſt. & omnis virtus vt placeat Deo debet eſſe formata charitate, atqui charitas non eſt otioſa. II. Licet nihil aliud ageret otioſus, quàm tempus inutiliter conſumere, grauiter profectò rationem redditurus eſt. III. Otium regna deuaſtat, viros fortiſſimos enervat. nam vt labor militaris firmat & auget regna, ita & otioſitas diſſipat. Romani quamdiu in laboribus fuerunt & exercitiis, opibus & gloriâ floruerunt; ita otio dediti continuò defecerunt. Hannibalem quem arma vincere non potuerant, vina & otium ſoluerunt. Denique otiũ ſpoliat hominem bonis naturalibus, gratuitis, cœleſtibus. Naturalibus, quia ingenium labefactat, robur & agilitatem corporis deſtruit, & hominem inutilem reddit. gratuitis, cùm Dominus abſtulit à ſeruo talentum & mnam, quia in ſudario abſcondit & multiplicare neglexit: cæleſtibus, quia illa non dantur niſi ſtrenuis.

*Tempus conſumit.*

*Regna vaſtat, fortes eneruat.*

*Hominem omni bono ſpoliat.*

VI. Videmus, quàm verum dixerit Sapiens: *Qui ſectatur otium, ſtultiſſimus eſt.* quia ad prudentem pertinet in omnibus rebus præuidere finem, & ordinare media proportionata ad finem: vt eum conſequamur, qui attingit à fine vſque ad finem fortiter; & diſponit omnia ſuauiter. Nota in otioſo tres ſtultitiæ gradus. Primus eſt, vitæ propriæ neceſſaria non quærere: ſecundus, ſeipſum indefenſum hoſtibus exponere. dæmon enim non facilè decipiet hominem ſe ſalubriter exercentem. tertius, hoſtes ſuos nutrire qui eum interficiãt, motus ſcilicet carnales. Sed plures ſunt otioſorum ſtultitiæ. I. Etenim fugiunt id quod eſt iucunditas & ſanitas tam animæ quàm corporis, ſcilicet moderatum laborem. II. Locum dant diabolo. ideo proprius locus otioſorum eſt infernus, ſicut & diaboli. III. Faciũt ſe ſentinam omnium malarũ & inutiliũ cogitationũ. IV. Quieſcunt cùm eſt laborandũ, ideo laborabũt cùm erit quieſcendũ.

*Otioſus, ſtultus. Prou. 12:11.*

*Tres ſtultitiæ gradus.*

*Plures eius ſtultitiæ.*

VII. Porrò, triplex otium quidam ponit, ſcilicet otium infidelium, peccatorum, & aliorum Chriſtianorum. Infideles potiùs mortui quàm otioſi dicentur. operatione & motu, mortuus à viuo dignoſcitur: cadauer mortui caret principio vitali, vnde omnis operatio manat. Principium vitale omnis operationis eſt fides, & quia fides infidelium mortua eſt, ideo & opera eorum mortua ſunt. Pecca-

*Otium triplex.*

*Infideles potiùs mortui, quàm otioſi.*

Peccatores verè otioſi. catores aliud agunt quàm debeant, & laborant in promouendis vitijs, augendis malis, preſſi onere ſub palea, luto, latere. Sed tamen dici poteſt quòd otioſi ſint, qui iſto labore nihil conſequuntur. Sicut enim homo per otium nihil conſequitur, ità hi otioſi dicentur, quia fruſtra laborant.

Otioſorum labor. Alij, dum non agunt id quod debent, & otio ſe tradunt; hoc ipſo tamen laborant. Audi S. Ioan. Chryſoſt. de otioſo loquentem: *Quis non dicet*, inquit; *Onus hic eſt terræ, fruſtra aduenit in mundum talis: imò non fruſtra, ſed in malum ſui capitis, in damnum proprium, in detrimentum aliorum? Et quid fœdius homine, qui non habet quod operetur, quid laborioſius, quid miſerius? nónne hoc plurimis vinculis deterius? toto die in foro quotidie oſcitare & ſpectare homines prætereuntes. Animæ enim natura eſt vt ſemper moueatur & quieſcere nequeat. Deus hoc animal condidit operationibus deditum, & ex natura eius eſt operari, & præter naturam eius, eſſe otioſum.* plura addit viſu digna. Hom. 3. in Acta.

Meritò paterfamilias iſte otioſos increpauit, dicens: *Quid hîc ſtatis tota die otioſi?* Ad quæ verba author op. imperfecti eos cenſet otioſos qui proximo non benefecerint. hæc ſunt eius verba: *Qui malum fecit, otioſus non eſt, ſed mortuus. Si alienas res tollis, non es otioſus, ſed mortuus. Si autem aliena quidem non tollis, tamē nec de tuis rebus impotentibus das, tunc otioſus es. Vis non eſſe otioſus? nec aliena tollas, & de tuis des, & operatus es in vinea Domini, & coluiſti miſericordiæ vitem. Inebriatus in delitijs es; non es otioſus, ſed ſicut ait Apoſtolus viuens mortuus es. Si autem menſuratè manducas & bibis, non quidem peccas, quia non malè manducas, tamen otioſus es, quia nullam ieiunij operaris vitem. Vis ergo non eſſe otioſus? ieiuna, & quod manducaturus fueras, da impotenti, & coluiſti ieiunij vitem. Non ſolùm non inuideas, ſed & congaudeas meliori, & beneuolentiæ vitem colis.* Et iterum: *Sicut nemo ideo conducit operarium, vt hoc ſolùm faciat quòd manducet: ſic & nos non ideo vocati, vt hæc ſola operemur quæ ad noſtrum pertinent vſū, ſed ad gloriam Dei. Et ſicut mercenarius, qui hoc ſolùm facit quod manducat, ſine cauſa ambulat in domo: ſic & nos ſi ſola hæc facimus quæ ad noſtram pertinent vtilitatem, ſine cauſa viuimus ſuper terram.* Adi locum & plura inuenies. Sed non eſt quod otioſi nomen reſtringatur. Quid hîc ſtatis tota die otioſi, id eſt, proximo non ſubuenientes, vobis nihil proficientes, Deo non ſeruientes, diabolo non reſiſtentes, pœnitentiam non agentes, impoſterum vobis

Matth. 20: 6. Hom. 34.

VIII. Proximo benefacere, eſt ſalubriter laborare.

Otioſi increpantur.

vobis non prouidentes?

IX. Illi quoque præcipuè reprehenduntur qui ſunt in tempore gratiæ, magis ſanè reprehenſibiles quàm ante Chriſtum. I. Quia ſerui emptitij ſumus. Adam & poſteri qui in mortem corruerunt, cùm nondum pretioſiſſ. illo ſanguine empti eſſent, non mirum ſi aliqui ex iis tum otioſi fuerint: nos autem tanto pretio empti, mercenarij ſumus, & ſine labore eſſe non poſſumus. II. Quia nobis melior merces quàm Iudæis promiſſa eſt. illis terra, nobis cælum. III. Cælum olim promiſſum ſub figura terræ promiſſionis: ſoli tamen Ioſue & Caleb intrarunt. Alij pòſt in terra promiſſionis exiſtentes, ſolùm mercedem poſt paſſionem Chriſti acceperunt, qui ſe dignos fecerunt: nunc in momento cælum rapi poteſt, cùm v. g. aliquis poſt baptiſmum decedit. IV. Denique quia Ieſus ad nos veniens, exemplum laboris attulit. Ecce, ſtare, aut quieſcere vult ſeruus, vbi ſic laborauit Dominus. priùs laborandum, dein quieſcendum. Lucifer, quia priùs ſedere voluit quàm miniſtrare, dicens; *ſedebo in monte teſtamenti.* proiectus eſt è cælo, & labori ærumnoſo, infructuoſo & perpetuo deputatus. qui illum imitantur, & peruertunt ordinem Dei, vt priùs velint ſedere quàm laborare, ad laborem inutilem & grauiſſimum proiicientur. *Iſaia 14:13.*

Pluribus de cauſis reprehenſibiles ſunt qui tempore gratiæ otiantur, quàm qui olim.

Claudam cum verbis Hugonis Charenſis qui ad illa verba; *Si retuſum fuerit ferrum &c.* ſic loquitur: *Ferrum vocat hic Salomon humanum ingenium, vel mentem. Sicut enim otioſitas ferrum obtundit, denigrat, rubiginat & conſumit; è conuerſo vſus exacuit, dealbat, elimat, & à corroſione rubiginis conſeruat: ſic humanam mentem otium obtundit, denigrat, rubiginat & conſumit; exercitatio verò ſtudij ſalutaris exacuit, perſpicacitate dealbat, candore puritatis & innocentiæ elimat, à rubigine vitiorum detergit, & ab omni corroſione peccati conſeruat illæſam.* Aperit ergo quatuor mala otij, & quatuor bona ſalutaris exercitij, vt otium fugiatur, & exercitium quæratur. *Eccl. 10:10.*

Otij mala & exercitij bona.

# CAPVT V.

# Negligentia, Omiſſio, Pigritia.

*SVMMARIVM.*

*I. Negligentia ſollicitudini oppoſita, quod peccatum, vnde proueniat, vt ab aliis differat.*
*II. In quæ mala negligentes cadant: à natura confunduntur: illorum cæcitas.*
*III. Negligentiæ remedia.*
*IV. Diligentia in ſtudiis per quæ impediatur.*
*V. Omiſſio & Tranſgreſſio, quæ qualia peccata.*
*VI. Pigritia, hominem facit immobilem ad bonum: conſumit temporalia, animam malis replet. piger omnibus vileſcit, ſtercore boum lapidatus.*
*VII. Pigri Chriſtum lapidant: hiſtoria Naboth propoſito accommoda. pleno iure nos Deus poſſidet. caro noſtra vt ſeſe excuſet.*
*VIII. Friuola pigrorum excuſatio. dæmon malis leo; bonis canis. piger oſtio aſſimulatus multipliciter.*
*XI. Quis pigrorũ locus eſt poſt hanc vitam: labores, opera, vigilias à nobis Deus exigit.*

OTio cognata eſt negligentia, quæ importat defectum debitæ ſollicitudinis circa actum proprium exhibendæ: Omnis autem defectus debiti actus eſt peccatum: eoque modo quo ſollicitudo eſt ſpecialis virtutis actus, ita negligentia eſt ſpeciale peccatum. Et vt præcipitatio eſt ſpeciale peccatum, ob ſpecialem actum rationis qui prætermittitur, ſc. conſilium, quamuis inueniri poſſit in quolibet genere peccatorum; ita negligentia eſt ſpeciale peccatum ob defectum

I. Negligentia vt ſit ſpeciale peccatum.

ſpecialis actus rationis, qui eſt ſollicitudo; quamuis inueniatur aliqualiter in omnibus peccatis. Opponitur negligentia ſollicitudini. ſollicitudo ad rationem, rectitudo ſollicitudinis ad prudentiam; vnde per oppoſitum negligentia ad imprudentiam pertinet. Negligens, dicitur, quaſi nihil eligens, electio autem recta eorum quæ ſunt ad finem, ad prudentiam pertinet. Prouenit negligentia ex quadam remiſſione voluntatis, per quam fit quòd ratio non præcipiat ea quæ debet, vel eo modo quo debet. vnde dupliciter poſſet eſſe negligentia mortalis: vel ex parte eius quod per negligentiam prætermittitur, ſi ſit de neceſſitate ſalutis: vel ex parte cauſæ, ſi voluntas circa ea quæ Dei ſunt adeò ſit remiſſa vt à charitate Dei totaliter deficiat.

Eſt ſollicitudini inimica.

Vnde proueniat?

Differunt autem negligentia, torpor, pigritia & omiſſio: quia negligentia dicit defectum interioris actus, ad quem pertinet etiam electio: pigritia & torpor magis pertinent ad executionem; ita tamen vt pigritia importet tarditatem ad exequendum, torpor autem quandam remiſſionem in executione. omiſſio ad exteriorem actum pertinet, cumque, obſtum.

Vt ab aliis differat.

Negligentes ad plurima mala deuoluuntur. Etenim lapſum culpæ non fugiunt: quia in via Dei non proficiunt; ſed magis inceſſanter deficiunt: leuiora paruipendunt, & in maiora cadunt. Opera pœnalia non faciunt, quia quod laborioſum eſt corpori fugiunt; ſi quid operentur, lentè, remiſſè, tepidè proſequuntur. Cultum Dei faſtidiunt, eique dicunt: *Aufer à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam.* Interim dum ſpiritualia eis non ſapiunt, rebus mundanis ſe irretiunt. Sed clamat contra eos S. Gregor. *Audiant, quòd bona præſentia, & à delectatione, citiùs tranſitura ſunt, & tamen eorum cauſa ad vltionem ſine tranſitu permanſura, quia & nunc quod libet, inuitis ſubtrahitur; & tunc quod dolet inuitis in ſupplicium reſeruatur. Itaque eiſdem rebus terreantur ſalubriter, quibus noxiè delectantur; vt dum percuſſa mens, alta ruinæ ſuæ damna conſpiciens, ſeſe in præcipitium perueniſſe deprehendit, greſſum poſt tergum reuocet, & pertimeſcens, quod amauerat, diſcat diligere quod contemnebat*, ita magnus ille Pater.

II. In quæ mala negligẽtes deuoluantur.

*Amos* 5: 23.

*Curæ paſt. p.* 3. *Admon.* 35.

O infelices negligentes! *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter.* alij vertunt, negligenter. Attende diligentiam creaturæ rationalis in quocumque

*Ierem.* 48: 10.

Natura eos confundit.

opere ſuo. Natura fructus arborum obuoluit duris vel amaris exteriùs, dulcedinem & teneritudinem intus reponens. quanta animalium diligentia circa fœtus ſuos. Vide hominum diligentiam circa ea quæ pertinent ad corporis vtilitates, ad mundi honores, vel in iis quibus alicui homini placere contendunt. quæ propter Deum fiunt, hominibus parum eſſe videtur quomodo fiant. Scilicet non conſideramus maieſtatem eorum coram quibus negligentia noſtra committitur. coram Deo & angelis eius laboramus: & tantò maiori ſtudio placendi opus eſt, quantò maior eſt cui placendum eſt. Non aduertimus vtilitatem prouenientem è diligentia in diuino obſequio. plus valet vna oratio benè facta, quàm mille cum magnâ negligentiâ. Denique ex illo ſeruitio, vnde nos oporteret coram Deo acquirere gratiam, reportamus eius offenſam.

Illorum cæcitas.

III. Negligentię remedia.

Tria contra negligentiam ſunt remedia. I. Dei amor. qui fideliter diligit, dilecti beneplacitum non negligit. Vbi paruus amor, ſæpiùs eſt negligentia; vbi magnus amor, parum eſt de negligentia; vbi perfectus amor, nulla negligentia. Populo Iſraelitico dicitur: *Obſerua & caue nequando obliuiſcaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius.* Vnde ergo in nobis tanta negligentia, niſi ex defectu amoris? II. Merces æterna, quæ ſi continuò præ oculis eſſet, nullus negligentiæ locus remaneret. *Quomodo effugiemus ſi tantam neglexerimus ſalutem?* De inuitatis ad nuptias dicitur: *Illi autem neglexerunt.* III. Dei timor. qui dominum ſuum timet, facilè obediet. Qui diligenter attenderet & profundiùs cogitaret ſeueritatem diuinæ iuſtitiæ, & acerbitatem pœnarum in iis qui negligentes fuerunt; nec maiora peccata committeret, nec minora negligeret.

Deut. 8:11.

Heb. 2:3.

Matth. 22: 5.

IV. Diligentiâ in ſtudiis tria impediunt.

Peraldus tract. de acedia, hæc ipſa pertractans, & virtutis negligentiæ oppoſitæ; ſc. diligentiæ mentionem faciens, tria ponit diligentiam ſtudij impedientia, quæ hîc obiter annotare placuit. Primum eſt, nimia velocitas. Quidam enim curſim conſiderant ea in quibus ſtudent, nec poſſunt expectare donec veritas quam quærunt illis occurrat. vti Pilatus non expectauit reſponſum à Christo, quid eſſet veritas. Nihil magnum rerum natura citò effici voluit, præpoſuitque pulcherrimo operi cuique difficultatem. citò non fit vt benè ſcribatur; & benè ſcribendò non fit

fit vt cito. Secundum, curioſitas quæ vult videre quid ſequatur. animo frenum imponendum, & non permittendus vagari. oculus cordis ſemper noua videre appetit, ſicut & oculus corporis. Tertium, fatigatio cùm ſe quis fatigatum ſentit circa aliquam materiam ſtudendo; melius eſt vt quieſcat, & poſt quietem ad eandem redeat. Sed hæc per tranſennam.

V. Tranſgreſſio vnde dicta.

Negligentiæ iungitur Omiſſio, cui opponitur tranſgreſſio. Nomen tranſgreſſionis à corporali motu ad morales actus deriuatum eſt. dicitur aliquis tranſgredi, quia tranſit terminum ſibi præfixum: in moralibus per præceptum negatiuum præfigitur homini terminus vt vltra non tranſeat, ita tranſgreſſio dicitur cùm fit aliquid contra præceptum negatiuum: eaque ratione eſt ſpeciale peccatum, licet materialiter commune eſſe poſſit aliis ſpeciebus peccatorum, quia ſemper aliquod præceptum diuinum tranſgreditur.

Vt ſit ſpeciale peccatum.

Omiſſio, quid, & quomodo peccatum.

Omiſſio contrariatur præcepto affirmatiuo, & importat prætermiſsionem boni debiti, bonum autem ſub ratione debiti pertinet ad iuſtitiam. Sic, eo modo quo iuſtitia eſt ſpecialis virtus, etiā omiſſio eſt ſpeciale peccatum: & eo modo quò facere bonum, cui opponitur omiſsio, eſt quædam ſpecialis pars iuſtitiæ, diſtincta à declinatione mali, cui opponitur tranſgreſsio; ita & omiſsio à tranſgreſsione diſtinguitur. Et quia omiſsio non eſt niſi boni debiti ad quod aliquis tenetur, nullus autem teneatur ad impoſsibile; ideo nullus per omiſſionem peccare dicendus eſt, ſi facere non poſsit. v. g. qui debet reſtituere, non tenetur, niſi ſuppoſita facultate &c.

VI. Quid pigritia.

Nunc de pigritia agendum, quæ dici poteſt metus conſequentis laboris. Hæc I. Reddit hominem impotentem ad operandum;& ne ſe vertat vel moueat à malo ſtatu, reddit eum velut immobilem. *Comederunt alieni robur eius, & ipſe neſciuit.* facit eum vt idolum, quod habet membra, ſed non eorum vſum nec ſe iis defendit, ſed cædi, comburi &c. permittit. Anaxarchus dicebat, ſi quis alterum audiret imprecantem ſibi manus & pedes inutiles, iratum illi proculdubio fore, & tamen alios cum reipſa manus ſuas pedeſque faciant inutiles, interim ob hoc ipſum ſe beatos exiſtimare.

Hominem facit immobilem ad bonum.

*Oſee* 7:9.

Ethnici notabile apophthegma.

*Refert Stob. ſerm. de otio.*

II. Conſumit res temporales. hinc illud apud Cæſariū; Vidimus, inquit, apud Ægyptum nonnulla de laboribus fratrum priorum

Conſumit res temporales.

priorum maxima celeritate fundata & ædificata, quæ moderni exignauia de facultatibus datis fulcire non ſufficiunt. Multis ſudantibus, piger cibum diligit delicatum, aut ſommum capit matutinum: aliis nocte dieque cura peruigili feſtinantibus redimere tempus, quia dies mali ſunt, piger longas noctes dormiendo conſumit, & breues dies fabulando ducit otioſos.

Animam replet malis culpæ.

III. Replet animam malis culpæ, quia piger tentationes omnes recipit & nutrit, factus habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi.

*Tract. de diſcretis exercit.*

Cor pigri, molendinũ.

I. Gerſon cor pigri comparat molendino, quod cùm non habet ad molendum bonum frumentum; quia in continuo motu eſt, molit & conſumit ſeipſum, & æquè citò molit aduolantes fœdas muſcas, quàm grana electa.

Etiam malis pœnæ.

IV. Etiam malis pœnæ, ſcilicet paupertate, ſpirituali vilitate, & afflictione. Certè, quàm vilis ſit piger, indicat Sapiens,

*Eccli. 22. 1.*

cùm dicit: *In lapide luteo lapidatus eſt piger, & omnes loquentur ſuper aſpernationem illius.* id eſt, ait

Piger corã omnibus vilis eſt.

Corn. piger adeò vilis, contemptus & exoſus eſt, vt eum homines dignum cenſeant qui impetatur lapidibus ſordidis ex ſtercore boum: omnes enim quaſi torpidum & ſordidum aſpernantur, ita vt eum tangere, aut cum eo conuerſari nolint, ſed omnes eum refugiant & auerſentur, vti qui tangit lapidem ſordidum vel ſtercus, illico è manibus excutit.

Sequitur; *de ſtercore boum* V. 2. *lapidatus eſt piger.* cur non equorum &c.? quia bos vtpote grauis, lentus eſt & tardus, ideo ſymbolum & figura pigri. Sed etſi lentus eſt, tamen laborioſus eſt, & ſignificat quòd piger pigritiam ſuam debeat vincere labore ad bouis imitationem. Hinc monetæ olim imprimebatur figura bouis, vt ait Pollux l. 9. quòd labor pariat nummos & opes, pigritia inopiam & famem. Bene ergo in pigri opprobrium bouis ſtercus ſumitur, vt boue ſe deteriorem agnoſcat, & à boue laborem diſcat. Stercus boum ſeruit etiam ſtercorandis agris, vt iniecto ſemine copioſa ſit meſſis: ager hic eſt piger, ſtercoratur ſtercore boum, vt iniecto diligentiæ ſemine, copioſos fructus ferat.

Cur ſtercore boum lapidetur.

Pet. ad Boues, dicit pigros & ſomnolentos, inter alios peccatores, eſſe illos qui lapidibus Dominũ impetunt, quod eorũ negligentiæ, & remiſſiones circa curam animæ ſuæ vocentur in ſcriptura lapides; *In lapide luteo* &c. Opera pigrorũ vocãtur lapides, tum propter grauitatẽ & ponde-

*Diſcurſu morali ad Dom. Paſſionis.*

VII

Opera pigrorum la-

pides qui-bus Domi-num impe-tunt.

ponderoſitatem (quia vt lapides ex ſe graues ſũt & ponderoſi, ita piger agit ponderosè, lentè, remiſsè) tum ob ſignificationem, quia vt lapides in terra culta, ſignificant cultorem illius terræ eſſe remiſſum & incuriũ operarium; ita opera pigrorum teſtantur eos eſſe vacuos omni cura diligentiæ.

Nec abſurdè dicitur, Dominũ per hos lapidari cui omnino dura eſt perditio animæ otioſi, quam tanto pretio redemit. Vineam Naboth volebat Achab, quod cùm meritò negaretur, offenſus eſt Achab cum vxore Iezabel, quæ per falſos teſtes eũ mori coëgit. Naboth interpretatur diuinatio, & ſignificat Ieſum Chriſtum hominẽ Deum: vinea ei chariſſima, eſt anima quam pleno iure poſſidet. Hanc petit Achab homo piger & otioſus, qui benè vellet ſalutem animæ ſuæ nil boni faciendo, omnem laborem fugiendo, & quaſi dicit Chriſto; vende mihi vineam tuam. dimitte me voluntati meæ, non exigas ab ea fructum laborioſum, non compellas me ad opus. *Vt faciam mihi hortum olerum* ait Achab. Olera ſunt cibi porcorum, opera otioſorum ſunt cibi dęmonum. occupationes illorum ſunt comedere, ludere, dormire, quieſcere, talibus oleribus paſcuntur porci infernales. O miſer! quãto nobiliùs tecum ageretur, ſi anima tua eſſet vinea Domini, quàm hortus diaboli: verè digniùs ferret Domino vuas meritorum, quàm dæmoni olera infructuoſarum occupationum. Quid facies? non vendetur tibi vinea. Ius plenum in illam habet Dominus. ius creationis, quia fecit & creauit eam: ius redẽptionis, quia diabolo obligatã ipſe ſãguine ſuo redemit: ius reparationis, iuſtificationis, conſeruationis; quia cùm quotidie per peccata maculetur, ipſe reparat, iuſtificat, conſeruat.

Hiſtoria Naboth propoſito accommoda.

3. Reg. 21:2.

Pleno iure nos Deus poſſidet.

Ex hoc reſponſo offenduntur Achab & Iezabel: quod piger impunè voluntatem ſuam non ſequatur, offenditur in ſpiritu & carne, quæ ſimul velut matrimonij vinculo iunctæ. Iezabel caro, inuenit falſos teſtes, vt lapidetur Naboth, & Achabo fiat hortus olerum: quia miſera caro inuenit excuſationes pigritiæ ſuæ, ſcilicet debilitatem corporis, ne ieiunet; frigiditatem ſtomachi ne aquam bibat; malum oculorum, ne vigilet; debilitatem corporis ne laboret; infirmitatem pedum, ne peregrè pergat; tenuitatem ſubſtantiæ ne alteri largiatur: aliaque infinita argumenta proferre nouit. Ita Naboth occiditur: quia per peccata iterum crucifi-

Caro noſtra vt pigritiam ſuam excuſet.

R gunt

gunt Filium Dei, dum reiterata cauſa, quodammodo reiteratur effectus.

Friuolas pigri excuſationes etiam notat Salomon, cùm ait: *Dicit piger: leo eſt in via, & leæna in itineribus.* Vult iners domi deſidere, nec egredi ad opera & labores ſibi ſuiſque neceſſarios, prætexendo caluas excuſationes, id eſt pericula quæ non ſunt. *Plerumque*, ait S. Greg. *piger negligit, quædam ſibi difficilia opponit, quædam verò incautè formidat: & dum quaſi inuenit quod velut iuſtè metuat, oſtendit, quod in otio quaſi non iuſtè torpeſcat.* Sic ille. Hugo myſticè per leonem accipit diabolum, per leænam carnis delitias, quæ pigros abſterrent ab ardua & laborioſa virtutis via. Pigris & ſceleratis leo eſt leo, at ſedulis & ſanctis leo eſt canis, ſeruiens eis vt canis hero. ita Cornelius. addit exemplum ex I. Moſcho. leonem quendam Ioanni anachoretæ inter duas arctas ſepes occurriſſe, illi iter aperuiſſe, & ſepes dorſo amouiſſe donec Ioannes tranſiret, ita leo iuſto iter ſine impedimento præbuit, poſt cuius tranſitum, & ipſe de ſepe exurgens, iter ſuum peregit.

*Prou. 26: 13.*

VIII. Proponit ſibi piger pericula quæ non ſunt.

*Cura paſt. p. 3. admon. 16.*

Dæmon malis leo, bonis canis.

*In prato ſpirit. c. 181.*

Notabile exemplum.

Quid iam de tanta pigri inertia? ſequitur; *ſicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger in lectulo ſuo.* I. Oſtium aſſiduè in cardine voluitur, tum cùm clauditur, tum cùm aperitur: ita piger in lecto in vtrumque latus ſe verſat, nec ſurgit ad ea comparanda quibus viuat.

*Prou. 26:14.*

Piger oſtio aſſimilatus.

II. Oſtium dum mouetur in cardine, ſtridet; piger dum à ſua pigritia extrahitur, murmurat & ſtrepit.

III. Oſtium totum pendet à cardine in eo fixum firmumq; hærens: cardo & ſumma voluptatis pigri, eſt otium, torpor, deſidia, in eo ſuum bonum collocat, & vltra eam ſe duci aut trahi non ſinit.

IV. Oſtium in cardine hærens, non quieſcit, quia crebrò aperitur & clauditur; piger in ipſo otio inquietè voluitur; vertitur in lecto, & nec tunc quietem relinquere poteſt, cùm incipit eſſe moleſta.

V. Oſtiũ in cardine mouetur, non promouetur: pigri quod mouent, non promouent, in virtute non proficiunt. *In circuitu impij ambulant.* Sicut equi in piſtrino, incedunt, non procedunt: & illi ſuam voluntatem actionum velut centrum ſibi præfigunt, circa hoc circumferuntur, alia & alia abiecta amplexantes; & ad patriam viæ terminum, non appropiant. Vnde S. Gregorius benè monet: *Pigris intimandum eſt, quod ſæpè dum opportunè agere quæ poſſu-*

*Pſ. 11: 9.*

*Cura paſtor. p. 3. admon. 16.*

*poſſumus, nolumus, paulò pòſt cùm volumus, non valemus. Ipſa quippe mentis deſidia dum congruo feruore non accenditur, à bonorum deſiderio funditus conualeſcente furtim torpore mactatur. Vnde apertè per Salomonem dicitur; Pigredo immittit ſoporem. piger enim rectè ſentiendo quaſi vigilat, quamuis nihil operando torpeſcat. Sed pigredo ſoporem immittere dicitur, quia paulisper etiam rectè ſentiendi vigilantia amittitur, dum à benè operandi ſtudio ceſſatur.* Adi locum.

IX. Cùm ergo Iudex venerit, quid fiet generationi huic? Piger ad operandũ pro ſalute animæ ſuæ, manifeſtum eſt quod cælum non intrabit, quia cælum eſt merces eorum qui operati ſunt. In paradiſo terreſtri non recipietur, nam ibi poſitus eſt primus homo vt operaretur. Nec in purgatorio, quia, in labore hominum non ſunt, illorum ſc. qui verè rationales fuerunt & ſtrenuè laborarunt; & ideo cùm illis hominibus ibi temporaliter non flagellabuntur. piger, in inferno ſolùm recipi dignus eſt.

Quis locus pigro ſit paratus.

Fructus iuſtitiæ à nobis exiguntur, & arbor non faciens fructus bonos excidetur, & in ignem mittetur. vbi euidens eſt, quòd ſit damnabile, non ſolùm malum feciſſe, ſed etiam bonum non feciſſe. Interloquatur S. Chryſoſt. *Neque enim fieri poteſt, ô dilecti, vt ſi pigri ſumus & ignaui regnum cælorum conſequamur, neque ſi in delitiis agamus, molleſque ſumus & effœminati. Præclarè nobiſcum agetur, ſi corpus affligentes & caſtigantes, & innumerabiles ſufferentes ærumnas, difficultates & labores, poſſumus bona illa conſequi.* Sic ille. Sponſa quærit in lectulo quem diligit anima eius. Sed quærit, & non inuenit. in otio Ieſus non inuenitur, qui aureos thoros aut delicatos thalamos in hoc mundo non quæſiuit, ſed naſciturus ſtabulum, moriturus patibulum elegit. Iacob cùm lapidem habet pro puluinari, myſticam ſcalam ſublimiaque myſteria vidit. Dauid de nocte vigilat, & lectulus eius obruitur lacrymis, quæ gemmis illis quibus lectuli regum picturantur, longè præſtabant. Nos quoque non terreant quæ iubentur, vt conſequamur ea quæ promittuntur. Atque hæc de pigritia ſufficiant. nunc teporem, qui inceptum opus negligit, particulari capite conſiderabimus.

Labores & opera à nobis exiguntur.

*In 1. ad Cor. 15. hom. 42.*

*Cant. 3: 1.*

Vigilandũ & laborandum.

# CAPVT VI.

## Tepor, ſiue tepiditas.

### SVMMARIVM.

*I. Vnde nobis virtus difficilis ſit & citò deficiamus. id in ſynagoga & Eccleſia notatum.*

*II. Tepidus in virtute proficere nequit. cur multi aridi & ſine fructu. magna in nobis ſegnities.*

*III. Tepidus deficit. omnia ſua diſſipat. quotidie excitari debemus.*

*IV. Tepidi quidam altè de ſe ſapiunt, aut vanè timent. diminutio charitatis fit dupliciter.*

*VI. In Apocalypſi quis per tepidum intelligendus. vt quandoque melius ſit, eſſe frigidum, quàm tepidum. feruidus gratiam impetrat, tepidus reiectus, in periculoſo ſtatu eſt.*

*VI. Tepidum euomi, vt intelligendum: eum non ſubitò, ſed paulatim deſeri.*

*VII. Tepidus iniuſtus eſt, nulli reddens quod ſuum eſt.*

*VIII. Teporis remedia. opera noſtra magno animo inchoanda.*

I. Virtus vnde nobis ſit difficulis.

HAnc miſeriam experimur poſt peccatum, vt cùm homo rationalis naturæ ſit, atque adeò virtus ei naturalis eſſe deberet, quia virtus ſecundum rationem eſt; tamen motus ad virtutem quaſi violentus nobis eſt, & neceſſe eſt nos abnegare, vt illam teneamus. Hinc fit, vt ſicut violentus motus incipere ſolet conciſè ac feruenter ob impellentis impetum, vt cùm lapis aut ſagitta ſurſum proiicitur, paulatim tamen motus ille remittitur ac deficit: ita in motu ad perfectionem euenire ſolet. Initia ſæpè præclara ſunt, cum feruore ac ſpiritu incipitur; ſed facilè laſſamur & deficimus in via, vti & viatori accidere ſolet. In corporalibus quædam veteraſcunt, vt corruptibi-

ptibilia; quædam ſecùs, vt cæli: ita in ſpiritualibus, angeli non veteraſcunt in operibus ſuis; anima verò ob corporis molem impediri ſolet.

Contingit nobis, quòd Synagogæ & Eccleſiæ. Cùm Synagoga vocata fuit ex Ægypto, mirabilia magna vidit, in ſpiritus feruore Deo ex magna parte adhæſit, poſtea amor tepuit, quod conqueritur Dominus: *Recordatus ſum tui, miſerans adoleſcentiam tuam, & charitatem deſponſationis tuæ* &c. Cùm etiam Chriſtus è cælo deſcendit, & Eccleſiam in ſponſam accepit, & ſpiritum S. miſit; videns ſe ſponſam, quæ ſerua erat, nimio feruore Chriſtum dilexit, vt ebria videretur præ amore, & diceretur; *Muſto pleni ſunt iſti. Dabo tibi poculum ex vino condito.* id eſt, charitate feruida te proſequar, omni virtute ornata. *Redundabūt torcularia vino & oleo.* Vinū redūdabat, cùm tantus martyrū ſanguis funderetur, cùm deſerta colerentur, aſperima vitæ ratio à pleriſque iniretur, temporalia nihili fierent, ſed ad pedes Apoſtolorum proiicerentur. An non poteſt iam dici Eccleſiæ, quod olim Synagogæ vates: *Vinum tuum miſtum eſt aqua?* Incipit quis Deo ſeruire, feruet inſtar aquæ ebullientis, amat aſpera, de ſe ſentit humilia &c. poſtea aqua tepet, & in ſuam reuertitur naturam: orat ſine affectu, ſeſe curſim examinat, ad exteriora effunditur, conſolationes quærit inutiles, otium ſectatur, laborem fugit, & qui prius à gratia ducebatur, nunc à natura ducitur.

Synagogæ feruor citò perijt.

*Ierem.* 2:2.

Eccleſiæ feruor qualis.

*Act.* 2:13. *Cant.* 8:2.

*Ioel.* 2:24.

*Iſaiæ* 1:22.

Vt homo facilè tepeſcat.

II. Tepidus in virtute proficere nequit.

Hoc iam plura incommoda ſecum trahit. Primò, quòd non proficiat in virtute. Sicut qui diſcit ſcribere, non perficit etſi diu ſcribat, ſed qui accuratè, & magnâ adhibitâ diligentiâ attendit: ita non proficit homo diuturnitate temporis, ſed curâ perpetuâ proficiendi. Omnia negotia & artes curâ indigent, vt perfectus quis euadat qui ijs incumbit; quid mirum ſi virtus id requirat? Multi diuini amoris guſtum & experimentum non percipiunt, ſed tepidi & aridi manent; quia contenti ſunt externa morum compoſitione, & moderatione in edendo, bibendo, loquendo, operando, & ſenſus ſuos iuxta rationis præſcriptum compeſcēdo. Philoſophi licet à Dei cognitione alieni, bonis moribus præditi erant: quia naturalis ingenij lumine ducti, facilè videbant, multò iucundius, commodius, ſalutarius eſſe quandam morum diſciplinam, alijſque in rebus moderationem ſequi, quàm effrenatè

Cur multi aridi remaneant

In philoſophis ethnicis qualis virtus.

frenatè naturæ affectibus indulgere. Et quia in his non id ſpectabant vt Deo placerent, ſed ab hominibus laudarentur; aut etiam ſuum commodum, quietem, vtilitatem quærerent; ideo Deo non placuerunt: diuini amoris & ſpiritus expertes, mercedem non reportarunt. Non ſatis eſt extrinſecus benè morigerum eſſe, ſed danda opera vt in ſpiritu Dei, eiuſque amore progrediamur. Vellet Deus nos ad vlteriora prouehere, ſed non permittit ſegnities noſtra, operam tantò huic gratiæ dono neceſſariam nauare non lubet. Vt apud ludimagiſtros, ſi puer elementa ſemper audiens non retineat, ſemper neceſſe eſt eadem inſonare, quia ſtultitiæ eſſet, vt prima fundamenta non callens ad alia duceretur: ita Deus hominibus ſi nihil proficiant in primis, non adijcit noua. Attende tibi quiſquis es: nec audias tibi tempus polliceri quod nuſquam ſubſiſtit, ſed fortè nec futurum eſt: quod conditor indulget, id dirige in vſus tuos profuturum.

Quanta in nobis ſegnities.

III. Secundò, tepidus non ſolùm non proficit, ſed deficit: non ſolùm ad anteriora ſe non extendit, ſed retrocedit: non ſolùm non acquirit nouas diuitias, ſed partas amittit. Audi S. Gregor. *Admonendi ſunt qui inchoata bona minimè conſummant, vt cauta circumſpectione conſiderent, quia dum propoſita non perficiunt, etiam quæ fuerant cæpta conuellunt. Si enim quod videtur gerendum ſollicita intentione non creſcit, etiam quod fuerat benè geſtum decreſcit. In hoc quippe mundo humana anima quaſi more nauis eſt, contra ictum fluminis condeſcendentis, vno in loco nequaquam ſtare permittitur, quia ad ima relabitur, niſi ad ſumma conetur. Si ergo inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non ſubleuat, ipſa operandi remiſſio contra hoc quod operatum eſt pugnat.* Sic ille. Ideoque verè Salomon dixit. *Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis.* Prou. 18:9. Senſus literæ eſt; qui negligens eſt, perdit omnia quæ habet, & frater dicitur, quia tam mollis quàm diſſipans, filius eſt incuriæ quæ ſibi non proſpicit, ſed ſua diſſipari ſinit, ſegnis id quod operatus & lucratus eſt, non ſeruat; ſed ſinit dilabi & diffluere, quia opus inchoatum niſi perficiatur, ſenſim, fatiſcit, corrumpitur, deſtruitur. Qui muros erexit & tabulatum conſtruxit; ſi tectum imponere negligit, ſua negligentia facit, vt pluuia ea corrumpat & deſtruat. hortos & plantas niſi aſſiduè riges, ſarrias, putes, colas, corrumpuntur, & pro fructibus lolium,

Tepidus deficit.

*Cura paſtor. 3. p. admon. 35.*

Segnis, omnia ſua diſſipat.

lium, ſentes & ſpinas profe-runt. itaque ſegnis quod labore ædificat, tepore deſtruit.

Sic & in virtute. Habitus virtutum corrumpi per actus remiſſos eiuſdem habitus dicit Ariſtot. & S. Thomas. Segnis quotidie experitur ſe imbecilliorē, & difficiliùs bona operantem. Ideo S. Antonius rogatus à diſcipulis, vt daret monita ſalutis, reſpondit; ne magni temporis laborem perderent, eo tantùm die ſe religioſum ſtudium arripuiſſe arbitrarentur, vt cæptæ voluntatis fortitudo ſuccreſcat. Apoſtolus de die in diem viuens Deo, tamen non quod ante feciſſet, ſed quid facere deberet attendebat. Si Paulus adhuc creſcit & proficit, qui Chriſtum planè indutus erat; quid nobis faciendum, qui optare poſſumus, vt in fine noſtro Pauli principio comparemur? In conſpectu Domini panes propoſitionis calidi ponebantur, frigidi auferebantur: feruidi ſint qui Deo propinquare volunt.

2. *Ethic. c* 3. 1. 2. *q.* 50. *art.* 3.

Quotidie ad feruorem nos excitare debemus.

IV. Tepidorum quidam altè de ſe ſapiunt.

Sed reperias, qui cùm in via virtutum ſint ignari, tamen magnificè de ſe ſentiant, hærentes in quibuſdam exercitijs arida conſuetudine peractis: quibus abundè contenti, Deo ſe ſatisfacere arbitrantur: interim interiorem hominem non explorant, vt ille ſe habeat in amore Dei, quàm humiliter, quàm manſuetè, quàm patienter ſe gerant, dum locus & tempus exigit. Alij torpore languent, timentes propoſitum nō obtinere: ſed tamen omnibus facile & poſſibile eſt id deſiderare, ad id niti, id ſperare. proficientium raritas, non tam ex rei difficultate, quàm mediorum ignorantiâ, & hominum negligentiâ prouenit.

Alij vanè timent.

Epiſcopo Epheſino dictum eſt: *Charitatem tuam primam reliquiſti*, vbi Benedictus Pererius benè obſeruat, quòd in viris qui perfectæ vitæ obſeruantiam profitentur, in virtutum officijs, & exercitio bonorum operum, remiſſio & incuria meritò reprehendantur. Deficere ab eo quòd erant, & non proficere vltra id quòd ſunt, vituperabile ac damnabile cenſetur. Diminutio charitatis fit dupliciter; Primò, quantum ad intenſionem, cum minuitur eius feruor, & fit homo tepidus & piger in bene agendo. Secundò, quantum ad extenſionem, & hoc quadrupliciter: ſc. quantum ad actus charitatis, quos non ita frequenter elicit, vt ſolebat: deindè, quantum ad externa opera virtutum, quia nec tot facit, nec tam aſſiduè: tum quantum ad perſonas, quia benignita-

*Apoc.* 2:4.

Diminutio charitatis dupliciter fieri poteſt.

nignitatem non ad omnes extendit, etiam inimicos, ſed ad paucos ſibi notos aut charos reſtringit: ac demum quia perpetuum benefaciendi & iuuandi homines ſtudium & conatum omiſit.

Alteri cuidam tuba terribilis inſonuit. *Vtinam frigidus eſſes aut calidus: ſed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.* Tepidus eſt, ait Cornel. hîc, qui inter virtutes & vitia fluctuat, quique ex virtute quidem viuere, & peccata vitare vellet, ſed certamen cum vitiis, & virtutis laborem fugit. Tepidus eſt, ait Alcazar, qui Deum quidem non audet mortaliter offendere ſciens & volens, ideoque ſe putat iuſtum: ſed purioris vitæ ſtudium negligit, vnde ſe facilè propriis concupiſcentiis permittit, & quæuis peccata deuorat, quæ ſibi tantùm venialia videntur. Hic licet poſsit eſſe in ſtatu gratiæ, ſi vid. ei grauis tentatio concupiſcentiæ non occurrat, facilè tamen ea occurrente in peccatum mortale cadit: vnde in magno verſatur peccati & ſalutis periculo, & ſæpè inter tot occaſiones quibus plena eſt hæc vita, in mortale reipſa labitur, vti huic Epiſcopo Laodiceno factum.

*Apoc.* 3:15. 16.

V. Quis hoc loco tepidus cenſendus

Licet in ſe peius ſit eſſe frigidum & in frigore degere quàm tepidum ad frigus tendere; ſicut peius eſt ſcienter peccare ex libertate, quàm ignoranter ex tepore & concupiſcentia (hoc enim eſt eſſe tepidum, illud frigidum) tamen hic tepor damnatur præ frigore, & dicitur optabilius vt hic Epiſcopus ſit frigidus, quàm tepidus. Primò, quia tepor periculoſior eſt frigore, tum ob maiorem obliuionem & ſocordiam, ex qua non aduertit ſuum periculum, ſed ſecurus in eo quieſcit & obdormit. Deindè ob periculum derelictionis à Deo, qui ignis conſumens eſt, & ſibi vult à Seraphinis miniſtrari, ideo teporem odit, & tepido gratiam ſubtrahit. Vnde dicit Caſſia. Frequenter ſe vidiſſe de frigidis & carnalibus, id eſt, ſecularibus & paganis ad ſpiritualem perueniſſe feruorem, de tepidis atque animalibus omnino non vidiſſe.

Cur quis melius quãdoque frigidus eſſet, quàm tepidus.

*Col.* 4:c.19.

Dei amicitiam meritò ambiebat, qui omni tepore à ſe repulſo dicebat: *In toto corde meo exquiſiui te, ne repellas me à mandatis tuis.* Qui toto cordis impetu ad Dei mandata currit, abundantiori eius auxilio dignum ſe reddit, vt quod humanæ fragilitati deeſt, Dei benignitate percipiat. Sed tepidus & negligens à mandatis Dei repellitur

*Pſ.* 118:10.

Feruidus gratiam impetrat, tepidus reijcitur.

pellitur (id eſt, à Deo non adiuuatur, vt exponit Auguſt.) quia dum opus Dei facit negligenter, ipſum magis impedire ac maculare, quàm perficere videtur; ita ſe Dei adiutorio fraudat. Vt in velo laxo ventus non operatur; ita Spiritus ſanctus in anima remiſſa & ſegni non permanet.

Tepidi, in periculoſo ſtatu ſunt.

Patet quantum ſit in tepore periculum, & in quàm periculoſo, ac ad lapſum & ruinam procliui & prono ſtatu verſentur tepidi, qui vitæ perfectioris ſtudium refugiunt, in eoque languent, & quaſi nauſeant. Tepor hîc damnatur, non tantùm quia inſtar aquæ tepidæ Deo vomitum prouocat; ſed quia imperfectum quoddam eſt, torpidum & languidum: nec enim calor eſt, nec frigus, ſed participium ab vtroque, imò vtriuſque quaſi imminutio & hebetatio. Tepidi, nec piſcis nec caro ſunt: irreſoluti hærent, fluctuant, nunc huc, nunc illuc inclinant.

VI.
An optare liceat vt quis ſit frigidus.

Sed quomodo poteſt illum optare frigidum? optari poteſt vt tepidus & ruinæ proximus cadat in peccatum manifeſtum, vt ipſe agnoſcat & ſeriò conuertatur; alioqui labetur in grauiora mortalia occulta, eaque negliget, & periculum damnationis incurret. Sed quid eſt; *Incipiam te euomere?* Significat Deus, tepidos ſuo tepore ſibi velut aquam tepidam propinare, quâ cogatur eos euomere, id eſt, à ſe ſuaque familiaritate repellere. Deindè, tepidos eſſe quaſi cibum crudum defectu caloris, id eſt, charitatis indigeſtum; ſicut feruentes per charitatis calorem quaſi concocti Chriſti membra efficiuntur. Vomitus ſignat Deum execrari tepidos, ſicut execramur, id quod os euomit. Neque ait, ex ſtomacho, ſed de ore, quia tepidi ita diſplicent Deo, vt in ſtomachum eos non admittat; ſed ſtatim vt in ore ſentit, reijcit. Denique id fieri cùm violentia, ſicut vomitus, quia contra Dei bonitatem eſt euomere.

Tepidum euomi vt intelligi debeat.

Sed verè pius & miſericors eſt, qui vt nobis proſpiciamus, priùs minatur, dicens: Incipiam te euomere, quia qui per teporem reſoluitur, non ſubitò nec totaliter à gratia deſeritur; ſed dum poſt minima etiam maiora contemnuntur, gradatim à ſummis ad ima deſcenditur, & verum fit illud; *Ego retribuam in tempore vt labatur pes eorum.* Deut.32:35.

Tepidus paulatim deſeritur.

Confirmat Salomon cùm dicit: *In pigritijs humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perſtillabit domus.* q. d. aliquando Eccl.10:18.

 domus

Id ſimilitudine declaratum.

domus cadit, non repentè, ſed quia negligens eſt dominus eius, & diſtillantes in eam aquas non prohibet, ideo paulatim diruitur. Sic & anima tepore decidit, dum piger ſollicitudinem debitam non gerit. Auiculæ, vt eſt in fabulis; quandoque tollere nolebant è campo ſemen canapi: hinc factum vt inde creſcerent laquei quibus eædem caperentur; ita tepidus dum paruas difficultates non perrumpit, diaboli laqueos paulatim incurrit.

VII. Tepidus iniuſtus eſt, nulli reddens quod ſuum eſt.

Qui tepidus eſt, etiam iniuſtus eſt, quia iuſtitia eſt virtus reddens cuique quod ſuum eſt; tepor autem eſt vitium, nulli ex integro reddens quod ſuum eſt. Deo, nobis, proximo debitores ſumus: debemus Deo laudem & gloriam, proximo congratulationem, & compaſſionem, nobiſipſis diſciplinam & ſollicitudinem. Debemus Deo totum quod poſſumus; proximo, quod ab ipſo nobis fieri vellemus: nobiſipſis quidquid virtutis, bonæ famæ, bonæ conſcientiæ eſſe nouerimus. Quod ſi in laudem Dei ſemper tepentes & diſſoluti, in amore proximi torpentes & frigidi, in diiudicatione noſtri negligentes fuerimus & remiſſi, quid tam iuſtitiæ contrarium erit?

VIII. Reſtat, vt nobis proponamus diuinā bonitatē, immenſa eius beneficia, & paratam laborantibus gloriam. quis non feruor & intentio maxima his debebitur? profectò & infinita obſequia, & infinito amore & feruore exhibita. Quàm ſtrenui ſunt mali in iis quæ ſibi noxia & inutilia ſunt, quorum pedes ad malum currunt? ardentiùs deſiderant pernicioſa, quàm nos vtilia; alacriùs currunt ad mortem, quàm nos ad vitam. In paſſione Saluatoris Apoſtoli ſomnolenti, Iudas vigilans & alacer eſt inuentus. Velociter & ſtrenuè agendum eſt: paulatim fiet vt opera noſtra non impediantur vel tædio vel alia de cauſa, quin perficiantur. tantùm magno animo incipiendum eſt. Pater quidam iuſſerat filio, è campo ſpinas euellere: is cùm ingentem earum multitudinem aduerteret, deſperans ſe perficere poſſe, ad ſomnum ſe compoſuit. Quod videns pater, præcepit, vt quotidie tanto ſpatio ſpinas tolleret, quantum loci occuparet dormiendo. ita facilè perfecit quod difficile videbatur. modò conemur, ſuperabimus. difficilius eſt v. g. mouere campanam vt ſonet, quàm ipſum motum continuare: pulli iumentorum initio difficiliùs plauſtrum trahunt, ſed paulatim aſſueſcunt. Incipiamus

Teporis remedia.

Opera bona magno animo inchoanda.

piamus: initium quod durum videtur, poſtea iucundo profectu compenſabitur.

# CAPVT VII.

## Indeuotio, ingratitudo, ignauia, ſomnolentia, boni ignorantia.

### SVMMARIVM.

*I. Indeuotio quid & è quibus oriatur.*

*II. Ingratitudo quale peccatum, aliquorum gratitudo. Ignaui variæ ſtultitiæ. languor ſpiritualis, vt noceat.*

*III. Somnolentia depauperat, excæcat, bonum impedit, ſe tueri non ſinit.*

*IV. Somnolenti excitantur, hoſtium obſidione, amore, dolore; compunctione, clamore, ſplendore.*

*V. Nimius ſomnus nociuus. Sacerdos quidam triſti voce extra ſenſus.*

*VI. Somnum abrumpere docent Sancti: homines mundani, Theodoſij exemplum; id natura ſuadet: mane faciliùs audimur, Arſenij vigilantia.*

*VII. Conſideranda circa ignorantiam: hominem facit inſenſibilem, aufert theſaurum cordis, à Deo ſeparat, beſtiæ ſimilem reddit, in multa mala præcipitat.*

I. Quid ſit indeuotio. TEpori ſe continuò iungit infelix ſodalitium indeuotionis, ingratitudinis, ignauiæ, ſomnolentiæ, ignorantiæ eorum quæ pertinent ad ſalutem. Indeuotio eſt ariditas quædam ſpiritualis. Vt deuotio eſt promptitudo voluntatis totum ſe tradendi ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum, ita defectus huius promptę voluntatis eſt indeuotio: & ſicut deuotione anima delectatur in Domino, & ſpiritualiter impinguatur, ſic per indeuotionem anima ſterilis & arida efficitur.

*Vnde oriatur, ex boni faſtidio*

Hæc oritur ex bonorum faſtidio vel acedia: cùm aliæ creaturæ ex otio impinguětur, & ex labore attenuentur; anima humana è contrario ex labore impinguatur, & ex otio & delitijs attenuatur. opera bona, cibi ſunt eorum qui ea faciunt, vnde vita ſpiritualis ſuſtentatur & roboratur: ſed qui patiuntur ſpiritualem ariditatem, frequenter duri ſunt ad ea quę pietatem ſpectant, & inflexibiles ad obedientiam. Dura facilius franguntur, quàm flectantur. Si ad ignem tribulationis ponantur, nihil ſpiritualis pinguedinis emittunt: quia nec gaudent, nec gratias agunt, ſed ſtatim ardent, & exuruntur impatientia. ad modicum flatum tētationis igne peccati ſuccēduntur, ad opera bona ſunt ſteriles: quæ alijs iucunda, ijs ſunt impoſſibilia, ſicut panis aridus quandoque tranſglutiri non poteſt, qui tamen adiutorio liquoris delectabilis fieret. Oritur etiam indeuotio ex carnalis conſolationis abundantia: quia quantò magis caro impinguatur, tantò magis ſpiritus fit macilentus. Etiam ex ſuperbia: quia ſuper mōtes Gelboë non venit ros gratię, nec pluuia pietatis.

*Ex carnali conſolatione.*

*Ex ſuperbia.*

*II. Ex ingratitudine.*

Denique ex ingratitudine, quæ dicitur ventus vrens, & ſiccans venas pietatis, rorem gratiæ, fluenta miſericordiæ. Hæc ingratitudo ſpeciale peccatum eſt, vt gratitudo eſt ſpecialis virtus. In omni quidem peccato inuenitur aliqua ratio ingratitudinis ad Deum, materialiter loquendo, inquantum ſcilicet omnis qui peccat facit aliquid quod poteſt ad ingratitudinem pertinere. Formalis autem ingratitudo eſt, quando actualiter & ex intentione beneficiū contemnit, & hoc eſt ſpeciale peccatum. Vitium verè deteſtandū. vti de multis conqueritur Dominus: *Filios enutriui & exaltaui: ipſi autem ſpreuerunt me.* Iſaiæ 1: 2. Qui autem pro accepto beneficio grati ſunt, locum faciunt vt plura recipiant. Ad ſingula dona ad eum cum gratiarum actione recurrendum in quo omnium gratiarum plenitudo.

*Prudens Placillę monitum.*

Placilla Theodoſij Imp. vxor, cùm videret maritum à pietatis veræque religionis ſtudio alienum magis eſſe quàm Imp. deceret, ſubindè ad eum dixiſſe fertur: Conſiderare te oportet ſuauiſſime coniux, quis antea fueris, & in quem locum te euexerit vniuerſitatis huius Deus. Si enim perpetuam eius rei obtinueris memoriam, non prorſus te ob accepta beneficia erga eum ingratum præſtabis: ſed ex præſcripto legum Dei quod ab eo accepiſti, gubernabis

bis imperium, & ita eum, qui tibi vt fideli miniſtro commiſit, ritè coles.

Rex Eduardus mirabiliter à mortis periculo ſeruatus.

Eduardus 1. Angliæ Rex, cũ adhuc adoleſcens eſſet, & cum quodam milite in camera teſtudinata ludo ſcaccharum occuparetur, ſubitò nulla occaſione præſtita, inter ludendum ſurgens diſceſſit: & ecce lapis immenſæ magnitudinis qui ſedẽtem conquaſſaſſet, cecidit in eundem locum quo ſederat. Propter quod miraculum B. Mariam apud Walſingam propenſiùs honorabat, ei attribuens quòd periculum iſtud euaſiſſet.

Pro beneficijs à Deo acceptis grati animi ſignum oſtendit etiam rex Alphonſus, referente Ænea Syluio. Cùm enim Ioannes orator Pontificius de pace Tuſciæ cum eo ageret, inter alia piè ac ſapienter dicta; Scio me, inquit, poſtquam regnare cæpi, plures è modica fortuna ad magnas opes & potentiam euexiſſe, qui poſtea benefacti immemores extiterunt. Quod nõ miror, cùm & ipſe eodẽ ingratitudinis vitio laborem. Nam quis plura ab optimo Deo quàm ego beneficia accepit, qui natus ex regibus regna hereditario iure ſum conſecutus, nec minora armis comparaui? Pauci me reges inter Chriſtianos antecedunt. Ingenium mihi natura non obtuſum dedit, memoriam non infirmam, corpus ſalubre, vitam longiorem, ac morbis ferè inoffenſam. Opes mihi, delitiæ, voluptates abundè ſuppetunt: literarum quoque nonnullam cognitionem adeptus ſum. At vbi mea gratitudo? quid ego aut feci, pro tot tantiſque diuinæ clementiæ muneribus? Intelligo me certè ingratum eſſe, eoque pœna tantò maiore dignũ, quantò grauius eſt Deum quàm hominem fallere. Verùm ſi mihi vita contigerit, eſt animus, quod hactenus neglectum eſt, abundè præſtare. Iniurias enim quas crudeliſſima gens Turcarum Iesv Chriſto vero & maximo Deo noſtro, nunc in Græcia, nunc in Aſia quotidie infert, vltũ ire decreui, atque ad id iam naues, iam viros & arma comparaui. Itaque nihil eſt, cur me Tuſciæ pacem quouis modo turbaturum exiſtimes. Atque hæc de gratitudine vitioque oppoſito ſatis.

Regis Alphonſi felicitas & pietas.

Porrò dum ab acedioſo antedicta indeuotio fouetur, ſuccreſcit Ignauia, qua ille magis eligit in miſeria magna permanere, quàm aliquantulum laboris ſuſtinere. Vide ſtultitias eius. A dęmonibus ad patibulum infernale ducitur, & non ſignat ſe cruce pœnitentiæ vt libere-

Miræ ignaui ſtultitiæ.

tur, Stillicidium malarum cogitationum ſuper oculum cordis cadere ſentit, & præ pigritia oculum non auertit, ſed corrumpi permittit. Ignē praui deſiderij ſuper pedem affectus cadere ſentit, & eligit vt ignis pedem vrat, quàm vt ipſe laborem excutiendi ſuſtineat. Dominus offert ei bona gratię & gloriæ, ipſe ex pigritia ſuſcipiendi manet in ſua paupertate. Eligit in luto hærere, quàm indè ſurgendo parum laborare. iacet in luto, qui iacere poterat in florido virtutum lectulo. Ponit vnum pedem, ſcilicet intellectus vel boni propoſiti, in via munditiæ, & alium pedem ſcilicet affectus vel operis, per annos integros differt mouere.

Languor ſpiritualis quantum noceat.

Ita paulatim labitur ad languorem aliquem ſpiritualem, quæ eſt grauis infirmitas & periculoſa, quia aufert omnem ſaporem diuinæ dulcedinis, & omnium ſpiritualium, inficiens palatum cordis, vt omnia videantur amara. Palato non benè ſano pœna eſt panis, qui ſano eſt ſuauis. Aufert ſenſum, vitam ſpiritualem & motum. longè à ſalute eſt membrum quod obſtupuit, & æger ſe non ſentiens periculoſiùs laborat.

III. Somnolentia ſeu grauedo, quid.

Huic iungitur grauedo, ſiue ſomnolentia: cùm quidquid ad ſeruitium Dei vel ſalutem propriam pertinet quis reputat oneroſum & graue, cùm tamen dicitur, iugum eſſe ſuaue & onus leue.

Somnus depauperat.

Somnus ſiue mentis ſiue corporis, periculoſus eſt & vitandus. I. Quia generat egeſtatem. Ideo nos monet Salomon: *Noli diligere ſomnum, ne te egeſtas opprimat.* Prou. 20:13.

Excæcat.

II. Generat cæcitatem. Tobias dormiendo viſum perdidit, & homo peccando, Dei & ſui cognitionem amittit. Ionas ſopore depreſſus qualitatem temporis & quantitatem periculi non aduertit: ita dormiens in peccato tempus amittit, & in quantis periculis ſit non aduertit, quod ſi aduerteret, non dormitaret, ſed Deum tremens exoraret. Loth dormiens non aduertit concubitum. Noë dormiens non ſenſit ſe nudatum: ita dormiens in peccato non videt ignominiam ſtatus ſui.

Bona impedit.

III. Tollit facultatem operandi. Meretrix dormiendo filium oppreſſit. 3. Reg. 3:19. qui in peccato dormit, opus quod fecerat ante peccatum opprimit, ita Isboſeth dormiens regnum, & vitam perdidit.

Adimit poteſtatem ſe tuendi.

IV. Tollit poteſtatem ſe tuendi. Siſaræ dormientis caput clauo terræ figitur: Sampſon dormiens crine, & fortitudine ſpoliatur: Holofernes dormiendo

do capite truncatur: Saul dormiens amiſit ſcyphum conſolationis, & haſtam defenſionis.

IV. Somnolenti excitantur. Hoſtium obſidione. Sed plura ſuppetunt vnde ſomnolenti excitentur. Sc. Hoſtium obſidio. non libenter dormiunt obſeſſi: nos obſeſſi ſumus à dæmonibus tentantibus, malis hominibus, rebus concupiſcibilibus. anima noſtra eſt ciuitas illa de qua dicitur: *Ciuitas parua & pauci in ea viri: venit contra eam Rex magnus, & vallauit eam.* &c. (*Eccl.* 9:14.) Deindè, feruens amor ſtimulat dormientem. (Amore.) vnde quidam: *Anima mea deſiderauit te in nocte.* (*Iſa.* 26:9.) Iacob pro Rachele laborans, dicit fugiſſe ſomnum ab oculis eius, & tempus breue fuiſſe præ amoris magnitudine. Amor nos vigiles efficere debet in orationibus. *Cùm me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* (*Iob.* 38.7.) ait Dominus. aſtra matutina ſunt viri alti meditatione, clari cognitione, mundi corde & corpore. (Doloris afflictione.) Excitat etiam doloris afflictio. ita pueri virgis excitantur, & infirmis ſæpiùs ſomnus interrumpitur. Ita & malus cùm affligitur, expergiſcitur. hinc impius Antiochus poſt tot ſcelera infirmitate percuſſus dicebat: *Receſſit ſomnus ab oculis meis. Nunc reminiſcor malorum quæ feci in Ieruſalem* &c. (1. *Machab.* 6:10.12.) (Compunctione.) Pij etiam dolore compunctionis euigilant. *Anticipauerunt vigilias oculi mei.* (*Pſ.* 76:5.) Quin & clamor excitat dormitantes, (Clamore.) vti decem illis virginibus contigit. *Media nocte clamor factus eſt.* (*Matth.* 25:6.) Denique ſplendoris illuſtratio. (Splendore.) ita Paulus nos monet, horam eſſe vt de ſomno ſurgamus, quod nox præceſſerit, dies appropinquauerit. (*Rom.* 13:12.)

V. Nimius ſomnus quàm nocius. Qui verò ſomno corporali nimiùm dediti ſunt, non ſolùm tempus inutiliter expendunt, ſed etiam vires corporis lędunt, & mentem ac intellectum obtundūt; quia cùm virtus naturalis & animalis in homine deficit, intellectus qui in ſua operatione organo indiget corporali, quia oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari, in opus ſuum exire non poterit. Ideo nimiùm dormientem qui caret ratione regendi ſeſe, aſsimilat ſapiens nautæ ſomnolento qui pericula maris non attendit, & clauum gubernaculi perdidit. *Sicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clauo.* (*Prou.* 23:34.) & vt mulier dormiens oppreſſerat filium, ita nimius ſomnus ſuffocat actum intellectus qui eſt proles mentis, & anima impeditūr ne habeat dominium ſuper corpus, vt in gula & luxuria reperitur. Eſt mirabile quod (Sacerdos per teſtem vocem ſenſibus deſtitutus.) ſcribit S. Auguſt. l. 14. de ciuit. Dei, c 24. his verbis: *Preſbyter fuit quidam nomine Reſtitutus in pa-*

*in parecia Calamenſis Eccleſia : qui quando ei placebat , ad imitatas quaſi lamentantis cuiuſlibet hominis voces, ita ſe auferebat à ſenſibus & iacebat ſimillimus mortuo : vt non ſolùm vellicantes atque pungentes minimè ſentiret, ſed aliquando etiam igne vreretur admoto, ſine vllo doloris ſenſu,niſi poſtmodum ex vulnere: non autem obnitendo , ſed non ſentiendo non mouere corpus, eo probabatur, quod tanquam in defuncto inueniebatur anhelitus : hominum tamen voces , ſi clariùs loqueretur, tanquam de longinquo ſe audiſſe poſtea referebat.* Sic ibi.

VI Surge piger , ſurge qui dormis,de nocte effũde cor tuum. (Somnum abrumpere docent ſancti.)

I. exemplo ſanctorum, de quibus dici poteſt illud : *Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes, tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt,* (Iſaia 62: 6.) laudare ſc. nomen Domini. Ieſus ſanctus ſanctorum in oratione pernoctauit, vt nobis formam præſcriberet imitandam. *Media nocte Paulus & Silas orantes, laudabant Deum.* (Act. 16: 15.)

II. Exemplo hominum mundanorum. (Idem docēt homines mundani) Mulieres domeſticæ earumq́ue familiæ, pro domus ſollicitudine ſæpè ſurgunt, & de ſedula illa muliere dicitur; *de nocte ſurrexit.* (Prou. 31: 15.) Mechanici & artifices bonam noctis partem ſæpè vigilant : ſtudioſis etiam multis noctu iuuat impalleſcere chartis. Demoſthenes dixerat, ſe omnes artifices vigiliis præueniſſe. De Theodoſio refertur, quòd de die in armis ſe exercebat, negotiaq́ue publica curabat, noctibus libris incumbebat. (Theodoſij vigilia.) Candelabrum habebat artificioſè factum, quòd oleum lucernæ infundebat, vt nullus alius affligi cogeretur. & naturæ vim faciens , ſomno repugnabat.

III. Ipſa natura nos ſomnum interrumpere cogit. (Id naturæ ſuadet.) Gallus ſummo mane Deum ſuo more laudare incipit, & vulgaris aſtrologus horarum loquitur diſcrimina. Aliæ auiculæ dum mane cantant & vigilant , homini beatitudinis capaci, qui altum tunc ſtertit; meritò verecundiam ingerunt.

IV. Manè facilius à Deo audimur, & ab eo conſolamur. (Mane faciliùs exaudimur.) *Si diluculo conſurrexeris ad Deum, & Omnipotentem fueris deprecatus... ſtatim euigilabit ad te,* (Apud Iob c. 8: 5.) ait Baldad Suhites. homo quia mane non impeditur mentis diſtractione, ideo liberior, melior , attentior eſt oratio,quę eſt aſcenſus mentis in Deum. Tunc etiam citiùs conſolamur, in cuius ſignum manna olim non niſi mane datum, vt patet Exodi 16: 21. *Qui mane vigilant ad me, inuenient me,* (Prou. 8: 17.) ait Diuina Sapientia. Mane videbimus gloriam eius. O quàm dulce eſt , Dominum pacis,

Deum totius cõſolationis inuenire, & eius gloriam videre? Magiſter, cùm mane docet, aptiùs poteſt diſcipulis quiduis imprimere: ita cæleſtis ille magiſter verba vitæ tunc animæ meliùs inſtillat. vnde quidam:

*Iſaiæ 50: 4.* *mane erigit mibi aurem, vt audiam quaſi magiſtrum.* Angeli Chriſto nato, ſuper terram iacentes & vigilantes conſolati ſunt. Euigilemus & nos cùm ſeruis expectantibus dominum ſuum. Duces in caſtris ſæpè noctes inſomnes ducere debent, & ad omnem caſum parati eſſe. Multi parua morula dormire ſoliti vel ſedendo, vel modicum ſuper manum accumbendo. De Arſenio referunt Vitæ PP. quòd tota vita ad opus manuum ſuarum ſedit, & pannum in ſinu habuit quo crebriùs lacrymas terſit, totam noctem inſomnem duxit: mane cùm propter laſſitudinem dormire vellet, dicebat; veni male ſerue, ita parum ſomni ſedendo capiebat, ſtatim iterum ſurgens.

*Arſenii vigilantia.*

VII. Contra ignorantiam quæ conſideranda.

Porrò indeuotioni, ignauiæ, ſomnolentiæ, ſæpè miſcet ſe ignorantia quædam eorum quæ pertinent ad ſalutem. Contra eam conſiderandum, Primò, quòd Spiritus S. & Chriſtus doceant omnem veritatem & ſcientiam. *Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, vtinam attendiſſes mandata mea.* (*Iſaiæ 48:17.*) Secundò, quòd contemnens ſcire ea quæ ſunt ſalutis, contemnat Deum ſcire & ſeipſum. multi multa ſciunt, qui ſeipſos & Deum neſciunt, ſimiles oculo qui alia videt, non ſeipſum. Tertiò, quòd cum multa bona ſcientia conferat, ita quoque ignorantia auferat.

Hæc facit 1. hominem inſenſibilem. *Verberauerunt me, ſed non dolui* &c. Scientia facit hominem ſentire mala in quibus eſt, 2. Aufert homini theſaurum cordis, qui eſt virtus & ſcientia. *Vbi non eſt ſcientia animæ, non eſt bonum. Diuitiæ ſalutis ſapientia & ſcientia.* Sapiens ſcientia eſt nobilis animi profeſſio, quæ diſtributa incrementum ſuſcipit, auarum dedignata poſſeſſorem; ſi non diſtribuitur, elabitur. hoc theſauro animam vacuat ignorantia. 3. Separat à Deo, qui eſt vera lux & per prophetã ait. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te.* & de quibuſdam dicit Paulus quòd ſint *alienati à vita Dei, per ignorantiam quæ eſt in illis.* 4. Facit hominẽ vt irrationale pecus. vnde peccatoribus dicitur: *Nolite fieri ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus.* quid beſtialius homine qui eſt ratione vigens, & non ratione vtens? his apoſtolicus princeps terribiliter minatur, & dicit:

*Ignorantia quàm mala, facit hominem inſenſibilem.* *Prou. 23:35.* *Prou. 19:9.* *Iſaiæ 33: 6.* *A Deo ſeparat.* *Oſee 4: 6.* *Ephe. 4:18.* *Hominem beſtiæ ſimilem facit.* *Pſal. 31:9.*

2.Pet.2: 12. dicit: *Hi velut irrationabilia pecora... in his quæ ignorant blaſphemantes in corruptione ſua peribunt.*

In multa mala præcipitat.

5. Ignorantia præcipitat hominem in multa mala & culpæ & Prou.13;16. pœnæ. *nam qui euitat diſcere, incidet in mala.* Vt ſapientia omnium bonorum mater eſt, ita Sap.7;12. & ignorantia mater & nutrix eſt omnium vitiorum. Hæc facit ignorari à Deo: quia *ſi quis ignorat, ignorabitur.* 1. Cor. 14. 38. Hæc hominem ducit ad perditionem. *hæc* Iob 18: 21. *ſunt tabernacula iniqui, & iſte locus eius qui ignorat Deum.* at ſcientia Dei ducit & dirigit ad æternam ſalutem. ita præcurſor veniſſe dicitur; *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius.* Luc. 1:77.

# CAPVT VIII.

## Murmur, Detractio, verba otioſa.

### *SVMMARIVM.*

*I. Quid murmur, & à quibus vitiis ortum ducat.*

*II. A murmure quæ nos meritò cohibeant: multi immeritò murmurant. patienti venia, murmuranti pœna.*

*III. Detractio fit quatuor modis. lingua detrahentiũ dentibus ſimiles.*

*IV. Detractor quatuor modis offendit. detractionis imago. detractor coruo ſimilis, dum famam furatur, omnes mordet, cum dolo nocet, bonorum hoſtis, homicida, dæmoni deuotus.*

*V. Detractores puniti.*

*VI. Verbum otioſum, quid. multiplici ratione cauendum.*

MIrum profectò videri poteſt, quòd cùm homo otioſus, ſit ignauus & ſomnolentus, vt iam diximus, tamen aliena vitia tam acutum cernat, diſcernat & ſugillet, ipſe plenus vaniloquio, murmure, detractione. Murmur quidem pro- I. Murmur quid. uenit ex internæ vnctionis & exterioris conſolationis defectu,

fectū, & dici poſſet, indebita oblocutio contra Deum vel alium. *A vitijs capitalibus oriri videtur.* Cognationem habere, aut oriri videtur ab vnoquoque vitiorum capitalium. A ſuperbia. *Num. 12:1.* tale murmur Aaronis & Mariæ. tale murmur Phariſæorum de *Luca 15:30. c. 7. 39.* Chriſto manducante cum Matthæo. & Simonis ſuper Magdalenam. Ab inuidia. ita murmurabant operarij in vinea, quòd bonus ille paterfamilias vltimò vocatos aliis pares feciſſet. Ab ira. ſic omnis multitudo filiorum Iſrael murmurauit contra *Num. 16:41. 42.* Moyſem & Aaron, dicentes quòd interfeciſſent populum Domini, ita vt cùm oriretur ſeditio & tumultus increſceret, Moyſes Aaron ad tabernaculum fugere ſint coacti. Ab acedia, vti *Num. 11:1.* *factum eſt murmur populi, quaſi dolentium pro labore.* Ab auaritia, vti Iudas de facto piæ iſtius peccatricis. Etiam à luxuria. de hominibus enim luxurioſis dici poteſt cum propheta: *Iſaia 26:16.* *In tribulatione murmuris doctrina tua eis.* eò quòd inuiti audiant, momentaneum eſſe quod delectat, æternum quod cruciat. Denique ex gula, vti peruerſus ille populus, qui optabat mori in Ægypto, & illic ſedere ſuper ollas carnium.

II. A Murmure quænam nos cohibeant.

Multa ſunt quæ nos à tam fœdo vitio meritò cohibeant. I. Scriptura pluribus locis nos monet: *Cuſtodite vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt.* *Sap. 1. 11.* & Paulus: *Omnia facite ſine murmurationibus, vt ſitis ſine querela, & ſimplices filij Dei.* *Philipp. 2:14.* Dominus Ieſus quaſi agnus coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum. In figura præceſſerat homo quidam ſimplex & rectus ac timens Deum, qui inter innumerabiles ærumnas conſtitutus, nihil ſtulti contra Deum locutus eſt. De parentibus Præcurſoris dicitur, quòd ambo iuſti fuerint, incedentes ſine querela. de SS. Martyribus canit Eccleſia;

*Non murmur reſonat*
*Non querimonia.*

*In tribulatione cur non murmurandum.*

II. Non murmurat qui ſe filium Dei cogitat: & quod ex amore flagelletur ab eo, qui quos amat, arguit & caſtigat. adeoque de flagello murmurat qui cauſam percuſſoris ignorat. Cogitanda pia cura ſummi medici, qui tribulationem dat vt medicinam, qui vulnerat partem ignobiliorem ſcilicet corpus, vt ſanet digniorem, id eſt, animam. *Quia ipſe vulnerat & medetur: percutit, & manus eius ſanabunt.* *Iob 5. 18.* *ideo vir prudens & diſciplinatus non murmurabit correptus.* *Eccli. 10. 28.* Murmurat fatuus aliquis de paupertate, conceſſis quandoque mediis malè vſus aut vſurus. *Multi immeritò murmurant.* inſuper non conſiderat quòd Deus paupe-

pauperes elegerit ad regnum, teſte S. Iacobo. Alius murmurat de cæli intemperie, cùm ſciat quid expediat, ille qui mittit: alius de malorum proſperitate, & bonorum aduerſitate, quia cauſam ignorat. Abundantia temporalium multis æternæ damnationis eſt indicium. Nouit Deus quid nobis det ad conſolationem, quid ſubtracturus ſit ad exercitationem: nec enim vilis homuncio pabulum iuméto ſuo ſine cauſa ſubtrahit. Iuſtitia quoque triplici iure exigit vt nos totos Deo tradamus, & ipſe in nobis vti 're ſibi propria dulciſſ. voluntatem ſuam exequatur; ratione ſcilicet creationis, redemptionis, iuſtificationis: ne quis ampliùs contradicat fictori ſuo, teſta de ſamijs terræ, & nō dicat lutum figulo ſuo, quid facis?

Cap. 1: 5.

Ex iuſtitia nos totos Deo tradere debemus.

Iſaiæ 45. 9.

III. Qui onus ſuum à Domino impoſitum patienter ferunt, acquirunt peccatorum veniam, & gloriam, ſimul euadunt pœnam æternam: at ij qui facilè murmurant, & ſæpius temporaliter, & quandoque æternaliter puniuntur. Maria ſoror Moyſis fratri obmurmurans, ſtatim *apparuit candens lepra quaſi nix*. Iſrael de aquæ penuria murmurans, cæditur ab Amalech, poſtea in ſolitudine ignitis ſerpentibus. de Chore, Dathan, & complicibus, ac pœna murmurantis populi, lege Num. cap. 16.

Patienti venia, murmuranti pœna.

Nu. 12: 10.

Exodi. 17.

Num. 21: 6

Iam verò, otioſus non ſolùm ipſe ſecum murmurat, ſed etiam alienam famam occultè & iniuſtè denigrat: Id fit quatuor modis directè, & 4. ſimiliter modis indirectè. Directè quidem, aut imponit crimen falſum: aut amplificat crimen verum: aut pandit crimen occultum: aut ſiniſtrè interpretatur alterius factum. Indirectè verò vel negat rectè facta, aut dotes alterius: vel ea extenuat: vel tacet bona alterius eo loco & tempore, quo eius ſilentium alij interpretantur tacitam vituperationem: vel ſimulatè, aut frigidè laudat, ſimulans ſe velle laudare aliquem, & nihil laude dignum adferens; cùm peius ſit frigidè laudare, quàm apertè reprehendere. Pulchrè Caſſiodorus ſuper Pſalmos, dentes, ait, à demendo dictos, & hinc eleganter linguas detrahentium nomine dentium appellari; quòd ſicut illi ciborum partes demunt, ita & iſti hominum opiniones corrodant. Maledictum vitium, etſi multis commune; ex quo odia pullulant, diſſidia ortum trahunt & ſuſpiciones malæ: ſine cauſa ex amico hoſtem reddit, domos ſubuertit, pacis vincula ſoluit, charitatis

III. Quatuor modis alicui detrahitur.

Linguæ detrahentium dentibus ſimiles.

*In c 4. epiſt. S. Iacobi.* ritatis modum infringit.

IV. Detractor oſtendit in 4. rebus. Hugo Card. docet, detractorem in quatuor rebus offendere. Quia Deo facit iniuriam, cuius facturæ detrahit, cùm deberet in ea delectari, iuxta illud: *Pſ. 91: 5.* *Delectaſti me Domine in factura tua.* Item ſibi facit violentiam: quia cuiuſlibet hominis natura eſt alium diligere, vt patet etiam in aliis animalibus, dum omne animal diligit ſimile ſuæ ſpeciei. vnde ſapiens: *Eccli. 27: 10.* *Volatilia ad ſibi ſimilia conueniunt.* Item bono violentiam facit, quia omne bonum laudabile. Denique proximum lædit, cuius bonum minuit. Propter hæc omnia dicebat iſte: *Pſ. 100: 5.* *Detrahentem ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar.*

*l. 2. in pſalmos, ad illa verba proxime citata.* Aiguanus, detractorem coruo comparat, qui eſt auis furtis aſſueta, linguis variata, vulpi ſociata, bonis inimica, pullis indurata, diis dedicata.

Detractionis imago. Detractionis talem addit imaginem: Erat homo in equo pallido, qui in manu ſabellum geſtabat, in quo hi quinque verſus ſcripti erant, 1. Famam furor, qua melius manet in homine nihil. 2. Variis armatus gladiis mores omnes lacero linguis. 3. Dolo dolens ſemper volo, cunctos decipere volo. 4. Lædere volens alios, me zelo perimo meo. 5. Me verbis perimens perimo, corde nulli parco ſecundo.

Itaque I. Coruus dicitur auis doloſa, res furtiuè ſubtrahens, & ſubtractas abſcondens: ita detractor aliorum famam furatur. *Detractor coruo ſimilis.* Vilium hominum detractorum, & ſuam laudem quærentium eſt, alios facere viles, vt in comparatione aliorum laudari poſſint. *Famam furatur.* Quod ſi furtum tantò grauiùs peccatum cognoſcitur, quantò res ablata pretioſior inuenitur; quid mortalibus in hac vita fama pretioſius? Certè Romani pro fama acquirenda ſuam vitam ordinabant: pro ea mori non timebant, aurum, diuitias, luxuriam cæteraſque mundi voluptates contemnebant. Vnde deteriores ſunt qui vitam famamque detrahendo corrumpunt, quàm qui ſubſtantiam aliorum prædamque diripiunt.

II. Coruus videtur auis clamoſa, diuerſas formans voces; ſic detractor linguis variat: quia in nullo ſtatu quis quantumcumque ſanctus eſt, quin detractor modum ei nocendi inueniat. *Omnes mordet.* pauperes enim, viles & abiectos prædicat: diuites, ambitioſos, auaros, cupidos: affabiles, diſſolutos: doctos, aut prædicantes, humanum honorem aut fauorem aucupantes: tacentes, inutiles: ieiunantes, hypo-

hypocritas: comedentes, voraces.

III. Coruus dicitur amicus vulpis, & pro eo cum aliis beſtiis pugnare: ita & detractor. Nam vt inter omnes beſtias vulpis doloſa & cautelis plena eſt: ita detractor ſemper dolos meditando cogitat, qualiter detrahendo alterius famam lædat: & inſtar vulpis cautus, fictis verbis detractiones operit, ne cognoſcatur, vnde compaſſionem prętendens duriſſimè mordet. Ita benè ſapuit qui dixit: *Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit.*

Cum dolo nocet.

Eccl. 10:11.

IV. Coruus eſt auis maligna, bonis animalibus & vtilibus multùm contraria: ita detractor bonorum hoſtis eſt, imò verò ſuiipſius hoſtis ſibi maximè nocet, dum omnia merita & ſpiritualia bona annihilat. Nihil ei prodeſt ieiunium, oratio aliaque pia exercitia, niſi mentem ab iniquitate, & linguam à detractione coerceat. Quod cùm non faciunt, imprecatur illis Pſaltes: *Induantur qui detrahunt mihi, pudore, & operiantur ſicut diploide confuſione ſua.*

Aliorum & ſuiipſius hoſtis.

Pſ. 108:29.

V. Coruus eſt auis impia, tantæ crudelitatis erga pullos ſuos, vt nunquam eis cibum ſubminiſtret, niſi prius ſibi ſimiles, id eſt, nigros deprehendat. Valdè crudelis eſt detractor, qui non ſolùm proximo opera miſericordiæ non exhibet, ſed inſuper carnem eius deuorat, verè vir ſanguinum & homicida. Itaque benè conſuluit qui dixit: *Remoue à te os prauum, & detrahentia labia ſint procul à te.*

Crudelis homicida.

Prou. 4:24.

VI. Coruus apud gentiles Apollini conſecratus fuit: ita & detractor diis gentium, id eſt, dæmonibus conſecratus eſt, & egregium perdendis animabus adiumentum: detractatores omnes dæmonum Vicarij dici poſſunt, eorumque in æternis horrendiſque tormentis indiuidua ſocietate iungendi.

Dæmoni totus dedicatus.

V. Non mirum eſt detractatores acriter ſæpius à Deo punitos. Arnulfo Metenſi Præſuli Clotharius Francorũ rex multum deferre ſolebat, filium Dagobertum regni heredem ei inſtituendum tradidit, nec eo inconſulto quidquam facere auſus fuit, itemque regina, qui non tantùm interdiu, ſed etiam noctu eum ſæpius adibant. hinc curiæ canibus oblatrandi in eum, & famam lacerandi occaſio data eſt: & quidam Notto aſſerebat eſſe hominem voluptati deditum. qui cum die quadam aluo referta vino cum detrahente ſocio ſuo ſtrata pe-tiiſſet, iubente domino, omnia igne

S. Arnulfo detrahentes igne puniti.

veſti-

veſtimenta illorũ vallantur vndique flamma. Quibus illico cum ingenti clamore proſilientibus, & aquam circa nates ac genitalia loca, vbi camiſiæ eorum acerrimè cremebantur iniicientibus, nec omnino flammam diuinitus miſſam extinguere valentibus, tandem ad inſtar porcorum, luto volutabri ſeſe pariter inuoluunt, & ibi diu vociferantes, vix ad vltimum pœnam euaſerunt. Diuina cenſura factum vt cremarentur in partibus illis vbi libido, de qua calumniabantur virum iuſtum, regnare non dubitatur. Nec multò pòſt, detractionis author in huiuſmodi criminibus diffamatus eſt apud regem, vt ſcelera eius vnà cum vita regalis gladius amputaret, necnon & filius eius eidem ſententiæ ſubiaceret. refert Baron. ad an. 615. Vide quæ dixi. in Pſal. 118. v. 134. *In Pſ. 118. v. 134.*

VI.

*Verbum otioſum quid.*

Otioſus ſi non murmuret aut detrahat, vana otioſa & inutilia profert. Otioſum verbum eſt, ait S. Greg. quod aut ratione iuſtæ neceſſitatis, aut intentione piæ vtilitatis caret. vel vt ait S. Ieronymus, quod abſque loquentis vel audientis vtilitate profertur. Omnino cuique vitandum: nam vir iuſtus cælum eſt, quia diuinæ Sapientiæ ſedes: cælum autem numquam apertum fuiſſe legitur ſine magna & vtili cauſa. Homo etiam eſt vti caſtrum aliquod obſeſſum. Vnde quidam conqueritur: *Inimici mei animam meam circumdederunt.* os noſtrum eſt porta caſtri, non niſi cum magna vtilitate aperienda, & cum magna diligentia cuſtodienda. Lingua noſtra debet eſſe calamus Spiritus ſancti. irreuerentiam facit Spiritui S. qui linguam ad inutilia verba laxat. Denique loquela inuenitur in ſolis rationem habentibus, ideo ſermo non niſi cùm ratione proferendus: pro ijs etiam rationem reddemus, & Iudex ſic greſſus noſtros dinumerat, vt nec tenuiſſima verba quæ apud nos vſu viluerunt, indiſcuſſa remaneant.

*Multiplici ratione vitandum.* *Pſ. 16: 9.* *Pſ. 44: 2.*

CAP.

# CAPVT IX.

## Incuria, diſſolutio, remiſsio, conuerſionis dilatio.

### SVMMARIVM.

*I. Acedioſus incurius eſt, & diſſolutus. quibus ſit ſimilis &c.*

*II. Vitium remiſſionis, quod. triſtitia in Dei ſeruitio irrationabilis.*

*III. Dilatio cur tam periculoſa. multis de cauſis difficillima ſit dilata conuerſio*

*IV. Ab accelerata conuerſione quanta bona. eam differens eſt iniurius in Deum, angelum, ſeipſum, proximum.*

*V. Stultitia eius qui conuerſionem differt.*

*VI. Pauli exemplum ad eam efficax quanam ad conuerſionem mouere poſſint.*

EX his quę diximus facilè colligi poteſt, quàm facilè incuria, diſſolutio, remiſſio, & conuerſionis dilatio, in homine otioſo ſibi locum vendicent. Primò enim, incurius ſine cura eſt: ſua non excolit, culta non colligit, collecta non cuſtodit. & tamen vt quis ditetur, tam benè valet ſcientia conſeruandi, quàm ſcientia acquirendi. Vaſa quæ nihil retinent, licet abundanter recipiant, non tamen implentur, vti cribrum: magna vaſa quæ benè retinent, licet non ita abundanter recipiant, paulatim tamen implentur. qui aliquid diligenter diſcit, & attentè deſcribit, magis proficiet quàm ille qui multoties illud legeret non ſcribendo.

I. Acedioſus eſt incurius

Deindè otioſus, vitio diſſolutionis laborat, quia inueniens difficultatem in ſui regimine, dimittit ſe omnino abſque gubernatione. *Qui docet fatuum quaſi qui conglutinat teſtam.* teſta minutim fracta non facilè conglutinatur, nec animus hominis diſſoluti facilè recolligitur. Eſt vt puluis

Etiam diſſolutus eſt quibus ſit ſimilis.

Eccli. 22:7.

puluis quem proijcit ventus à facie terræ: ſi ſcientia, vel aliquid aliud boni ei infunditur, nihil in eo retinetur: eſt dolium non ligatum. *Cor fatui quaſi vas confractum, & omnem ſapientiam non tenebit.* Ex hac diſſolutione ſequitur penuria omnium bonorum, quia dictum eſt: *Anima diſſoluta eſuriet.* Prouenit ex quadam diffidentia de Deo, quòd videntes infirmitatem ſuam diffidant poſſe ſeipſos regere. & impletur illud: *Væ diſſolutis corde qui non credunt Deo, & ideo non protegentur ab eo.*

Eccli. 21:17. Hinc boni penuria. Prou. 19:15. Eccli. 2:15.

II. Vitium remiſſionis quid.

Atq; hinc Remiſſionis vitiũ, quo quotidie deterior efficitur. Inchoat bonum, & primo die ſtrenuè operatur, ſecundo die minus, ad vltimum nihil. arcus frangitur intenſione; animus remiſſione. Beati ſunt de quibus dicitur: *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit vſque ad perfectam diem.* quia non quieſcunt donec id quod quærunt apprehendant: donec inclinentur vmbræ mortalitatis, & aſpiret dies æternitatis.

Prou. 4:18.

Otioſus autem in tenebris deliteſcens & factus ſibimetipſi grauis, contrahit Triſtitiam in Dei ſeruitio: valdè deteſtabilẽ. Nam cùm omnia noſtra à Deo ſint, omnia de manu eius accepimus, cur ergo ſine triſtitia modicum ſeruitium ei non debeamus? In rebus minimi valoris valdè læti ſæpe ſumus: ergo meritò Deo diſplicet ſi in eius ſeruitio triſtemur, vbi tot ſunt cauſæ gaudendi, quia tanto Domino ſeruimus, quod omnino regnare eſt, & hoc ſub ſpe gloriæ ſecuturæ. Hæc triſtitia hominem excœcat in his quæ Dei ſunt; vnde quidam in Vitis PP. dixerat: Vincula pedũ impedimẽta ſunt curſoris, & triſtitia eſt impedimentũ diuinæ viſionis.

Triſtitia in Dei ſeruitio quàm irrationabilis.

Miſer otioſus in his miſerijs cõſtitutus, Dilationis vitio peccat, de die in diem bona agenda differens. v. g. conuerſionis ad Deum, peregrinationis, confeſſionis, vel impletionis alicuius boni propoſiti præconcepti. Dilatio, ob multa periculoſa eſt. Primò enim, Deus ab otioſo excluſus primò blanditur, vt ei aperiatur, ſtans ad oſtium & pulſans. *Vox dilecti mei pulſantis.* ſed qui diu contemnitur, tandem iraſcitur & minatur, gladium vibrando, oſtium frangẽdo, adulteram occidendo. *Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit. Subitò veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Accedit mortis incertitudo, cuius tempus, locus, ſtatus, modus nobis eſt incognitus. Dein difficultas exuendi malam conſuetudinem, quæ quò diuturnior, eò fortior; vehementiùs ligat,

III. Dilatio cur periculoſa. Sponſus primò blanditur, poſtea minatur. Cant. 5: 2. Pſ. 7: 13. Eccli. 5: 9. Mors incerta. Conſuetudo difficilè exuitur.

ligat, fortiùs tenet, & impedit ne homo conuertatur, vel facit vt difficiliùs cōuertatur. Deniq; periculoſus eſt peccatorum ſtatus. In magno periculo eſt, qui habet gladium irę Dei ſuper caput ſuum, qui vndique ſpectat multiplicis mortis gladium euaginatum, qui paruo lapide conteri poteſt, obſeſſus ab hoſtibus ſanguinem eius ſitientibus.

Peccator in quanto periculo.

II. Multa ſunt quæ dilatam conuerſionem difficillimā reddunt: conſuetudo indurata, quia res iuuenes & teneræ citiùs accipiunt nouam formam: malitiæ occupatio, quæ eſt veluti mala quædam tinctura, in qua cùm pannus diu manſit, contrarium colorem non facilè recipit: bonorum naturalium conſumptio: vaſis cordis longa infectio: peccatorum longa & aſſidua oneratio: elongatio à Deo, difficulter redit, quia clamantem non audit: circa mortem ſollicitudo de rerum & domus diſpoſitione: iuſtè ab eo reijcitur quem in vita contempſit: tunc dæmon ampliùs inſidiatur: amaritudo diuturnæ infirmitatis quæ tunc maximè ſentitur, ſcilicet veteris peccati, quæ facit bona eſſe inſipida: amaritudo memorię mortis quę à bonis præſentibus ſeparat: deniq; circa mortem diuerſa mala concurrunt & occurrunt, quæ inducunt hominem in boni obliuionem, ob malorum oppreſſionem, vel etiā deſperationem.

Dilata conuerſio multis de cauſis difficillima.

III. Econtrà, accelerata conuerſio multa bona ſecum trahit. *Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.* Inde enim boni profunditas & tenacitas, quia quantò citiùs incipit, tantò profundiùs infigitur, vt radix arboris, & diutius ſeruatur: inde virtutis iucunditas, conſuetudine acquiſita, vt aliqui in iuuentute vix verberibus ad ſcholas coguntur, poſtea cum voluptate ſtudent: viuendi ſecuritas, & mentis iuge conuiuium: gratum ſeruitium, quia priora gratiora ſunt poſterioribus, vtpote fructus præmaturi: ſpei conſolatio è longiori pœnitentia: ignis purgatorij liberatio: Eccleſiæ communio: maioris meriti accumulatio: denique maior remuneratio.

IV. Ex conuerſione accelerata quantum boni. *Thren. 3:27.*

IV. Qui conuerſionem differt, iniquus eſt in Deum, ſeipſum, angelum, proximum. In Deum quidem: quia in eius eſca fel ponit, dilationem ſcilicet in bono: quia illud quod maximè odit ante oculos eius gerit: quia eum miſericorditer vocantem contemnit: quia talem patrem mitiſſ. dies moræ eius computantem, ſua tarditate affligit. vti dicebat virtuoſus ille iuuenis: *Scis quoniā numerat pater meus dies:* *Tob. 9:4.*

Conuerſionem differens, quibus iniurius. In Deum.

*& ſi*

*& ſi tardè uero vna die plus, contriſtatur anima eius.* Deindè, diabolo meliorem, Deo deteriorē partē vitæ ſuæ tribuit: illi florem, Deo fœces: denique Dei miſericordiam in ſuam damnationem conuertit, cùm Deus expectat, & ipſe inceſſanter oppugnat. In

Impius in Angelum.

Angelum eſt impius, quem affligit expectatione gaudii, quod de eius conuerſione expectabatur: toties monitus ſe non corrigit, ſed monētem contemnit, & iuxta eum irreuerenter

In ſeipſum.

ſe gerit. In ſeipſum quoq;, quia potiùs vult habere ſe malum quàm bonum, infirmum quàm ſanum, ſeruum quàm liberum, mortuum quàm viuum, in ſtatu latronis quàm regis, pauperem quàm diuitem, omnium bonorum Eccleſiaſticorum expertem quàm participem, conſortem dæmonum, quàm ange-

In proximum.

lorum. Denique in proximum, iniurius eſt, quem malo exemplo ſuo corrumpit, nullum ei ad ſpiritualia obſequium impēdit, ſed ſe ei inutilem reddit, quinimo Deus pro eius peccato quandoque proximum punit, vti filios Iſrael ob peccatum Achor.

V.

Stultitiæ eius qui cōuerſionem differt.

Conſideremus nunc miram fatuitatem hominis acedioſi, qui ad Deum conuerti continuò differt. Etenim conuerſio, vitæ cæleſtis eſt aggreſſio, citò inchoanda, quia via difficilis eſt & longa, tempus breue, expectantes magni, impedimenta viæ multa, ianua citò claudenda, continua naturę debilitatio, & itinerantis fatigatio: dæmon non facilè dimittit quos diutiùs poſſedit. Fatuus iſte quia periculosè cecidit, magnus aliquis manum porrexit, ſine qua omninò ſurgere non poſſet, & ipſe differt manum arripere. Stultus eſt, qui nauigaturus tum de neceſſarijs priùs cogitat, cùm recedit: ita nec ipſe ſibi neceſſaria præparat: ſtultè res differtur quam tempus & opportunitas tranſit, vt eſt in arboribus plantandis, vineis putandis: fatua eſt dilatio in rebus in quibus continuò eſt ſuccurrendum, vt ignem extinguendo cum domus ardet, vaſi ſubueniendo cùm vinum effunditur: fatuum eſt, in periculo mortis eſſe, & nolle vt ei ſubueniatur. offertur ei pœnitentiæ tabula, per quam euadat, ac ipſe ludens in vndis renuit & perit.

VI.

Pauli exemplum ad cōuerſionem efficax.

Ad feſtinam conuerſionem vel vnius Pauli vocatio efficaciter mouet. Quis deſperet, quāuis impius & crudelis & omni immanitate præditus, ſi Chriſtiani nominis ſummus perſecutor, factus eſt Chriſti Apoſtolus? ſi vas iræ conuerſum eſt in vas electionis? ſi is qui infenſiſ-

ſimus erat Eccleſiæ hoſtis, repentè euaſit cōſtantiſſimus eiuſdem Eccleſiæ propugnator? Sed dices: ille in via vocatus eſt, vt ſe corrigeret penè coactus eſt. Quid tu, quoties peccatorum conſcientiâ pungeris, nónne vocaris? quoties aduerſitate aliqua ſollicitaris, nónne cogeris? Quid ergo auerteris? quid reluctaris? ille increpitus ſtatim obediuit, tu ne obdureſcas. Ille cùm in terram cecidiſſet iuſſus eſt ſurgere, & ciuitatem ingredi, vt ibi audiat quod oporteat facere: tu tandem etiam ſurge, & ingredere ciuitatem mandatorum Dei, vt ibi diſcas quid te facere, quid fugere oporteat, vt ſalutem tibi parare poſſis. Illi Ananias manum imponens, viſum quem cadendo amiſerat, reſtituit. Ananias interpretatur donum gratiæ Dei: hoc tibi manum imponet conferens virtutem vt in ſpe confirmeris, & viſum recipias quem peccando perdidiſti: non viſum carnis neque oculorum, ſed quo Deus videtur, mentis & intellectus.

Moueat te quoque vitæ breuitas, periculorum varietas: hominum in negotiis mundanis indefeſſa ſtrenuitas: gratiæ Spiritus S. immenſa velocitas: Chriſti præcurrentis ſuauitas: ſpectantium, expectantiū, prouocantium ad feſtinandum multitudo & nobilitas, quia ſpectaculum facti ſumus mundo, angelis & hominibus: feſtinantium commoditas, vti paſtores & Magi feſtinantes Ieſum inuenerunt: futuræ hæreditatis iucunditas, felicitas, denique æternæ confuſionis immenſitas, quâ tardi obruentur, & carentes oleo clauſam ianuam offendent. Varia quæ ad conuerſionem mouere poſſint.

CAP.

# CAPVT X.

## Imperſeuerantia, inquietudo, impœnitentia, deſperatio.

### SVMMARIVM.

*I. Acedioſus, inceptum opus nõ cõſummat. imperſeuerans, inconſtans, mollis, vt intelligatur.*

*II. Chriſtus perſeuerantiæ exemplar. dæmon fini inſidiatur, &c.*

*III. Otioſus, etiam inquietus. varia inquietudo. hinc tædium vitæ.*

*IV. Acedioſus etiam in alijs virtutẽ impedit. eius pœna.*

*V. Impœnitentia quanta mala efficiat. deſperatio inter vitia virtutibus theologicis oppoſita, & grauiora.*

*VI. Deſperato propoſita ſpei incentiua. in quodam religioſo ſpes notabilis.*

*VII. Deſperatio, quàm mala. periclitantur homines tam ſperando, quàm deſperando.*

NEcdum hîc ſeſe ſiſtit malorum caterua quam ſecum trahit maledicta acedia. I. Otioſus enim dum modicum ibi, modicum illic expectat, reexpectat; etſi forſan opus aliquod bonum inchoet, tamen ipſe puſillanimis, nec ſibi conſtans, nec perſeuerans, illud ad perfectionem non adducit. Factum eſt quandoque vt canis aut equus pontem tranſiens & vmbram ſuam vel arborum cõtemplans, in aquam ſe proiiceret: ita multi milites excordes qui campum dimittunt antequam hoſtem videant aut ſentiant, armaque proiiciunt, & ſe victos clamant. Imperſeuerans aliquis dicitur quando ex diuturnitate

Acedioſus leui de cauſa opus non conſummat

Imperſeuerans & inconſtans differunt.

turnitate actus fatigatus & fractus deficit ante finem, quem perſeuerantia reſpicit: inconſtans quando ex difficultate exteriorum impedimentorum fractus deſiſtit. Acedioſi agitantur inſtabilitate quadam animi, & circumferuntur omni vento tentationum. Ad id pertinere videtur mollities, quando aliquis facilè deficit à bono ob aliqua difficilia quæ ſuſtinere non poteſt. molle eſt quod facilè cedit tangenti: non dicitur quid molle quia cedit fortiter impellenti, nec quis mollis reputatur ſi cedat aliquibus valdè grauiter impellentibus: nam & mœnia fortiſſima tormentis cedunt.

Mollities quid.

II. Quid nobis proderit boni aliquid incepiſſe non perfeciſſe? Proponamus nobis exemplum Chriſti ſaluatoris, cuius SS. pedes nunquam quieuerunt, & cùm ampliùs ambulare, laborare non poſſent, ſanguinem fuderunt. nunquam ab opere ceſſauit, donec onus illud grauiſſimum à Patre impoſitum conſummaret, eoque peracto clamauit; *Conſummatum eſt.* imò cùm iam offerrent Iudæi credere in eum ſi de cruce deſcenderet, ipſe interim opus redemptionis noſtræ non intermiſit, de quo & antè prædixerat: *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius.*

Ieſus perſeuerantiæ exemplum.

*Ioan.* 19:30.

*Ioan.* 4: 34.

Adhæc, dæmon valdè laborat ne homo perſeueret, de quo dici poteſt; *tu inſidiaberis calcaneo eius.* id eſt fini: nouit enim, finem optimum eſſe in re, aliaque ab eo bonitatem ſuam trahere. Perdita ſunt quæcumque fiunt, niſi optatus finis ſequatur: parum prodeſt fundamentum & parietes, niſi tectum ſequatur: parum prodeſt in mari dudum laboraſſe, ſi nauis portui iam proxima pereat. Non perſeuerare, vitium eſt verecundum & irriſione dignum: quod tunc maximè patebit, cùm illi qui anhelabant hominis profectum, in iudicio omnes incipient *illudere ei dicentes: quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare.* E contra, magna perſeuerantiæ eſt vtilitas. tantum valet vltimus dies illius qui benè vixit, quantum omnes qui præceſſerunt, quantum ad hoc vid. quod ſi illo die malè vixiſſet, præcedens vita perdita foret. Sola perſeuerantia ſaluat.

Dæmon finì inſidiatur.

*Gen.* 3:15.

Imperſeuerantia irridenda.

*Lucæ* 14:30.

III. Itaque otioſus dum nihil boni ad perfectum adducit, & nunc huc, nunc illuc fluctuat, nihil ei diu arridet: quod non habet, cupit; quod habet, faſtidit. planè inquietus eſt. Eſt quædam inquietudo ex feruenti deſiderio veniendi ad Deum, quà

Otioſus, inquietus.

Inquietudo varia.

quâ multi iuſti & perſeuerantes æſtuarunt. Eſt inquietudo ex afflictione, quam paſſus magnus Apoſtolus dicebat: *Nullam requiem habuit caro noſtra, ſed omnem tribulationem paßi ſumus.* Ita & inquietudo eſt ex acedia, quia otioſus nec corde nec corpore quieſcit. Monebat ſuos Paulus: *Rogamus vos fratres, corripite inquietos.* otioſus non habet quietem in conſcientia, ideo extra eam quærit, & non inuenit, omnem locum faſtidit, intus deſideriis æſtuat & mordetur, vt etiam bona ſint amara.

2. Cor. 7:5.

1. Theſſal. 5: 12.

Iam verò, ex inquietudine & longa triſtitia in Dei ſeruitio prouenit tædium vitæ, vt iam non ſolùm diſpliceat Deo ſeruire, ſed etiam viuere. Quandoque prouenit ex irruentium malorum deſperatione, vt Herodi Aſcalonitę contigit, qui ſe gladio ſuo volebat occidere, occurrentibus ſibi ſuis flagitiis, & irruentibus infirmitatum anguſtiis: ita & Sauli ſuper gladium ſuum irruenti: ita Pilato Lugduni propria manu ſe occidenti.

Tædium vitæ.

IV. Inter hæc, acedioſo diſplicet in alijs videre quod ipſe contemnit, & conatur virtutem alterius impedire. Vitium verè diabolicum, quia dæmon aduerſatur omni bono: huic ſimiles ſunt, qui prædicationem vel ſemen boni propoſiti impediunt. Vnde Petro dictum cùm paſſionem impedire vellet; *vade poſt me ſatana.* licet ille bono propoſito, & ex amore hoc fecerit. Qui bona impediunt, verè retia ſunt diaboli, per quos alios trahit. quibus meritò dici poteſt: *Laqueus facti eſtis ſpeculationi, & rete expanſum.* Sunt aucupes diaboli pro eo animas venantes. de quibus conqueritur Dominus: *Inuenti ſunt in populo meo impÿ inſidiantes quaſi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos viros.* talis erat Ieroboam homines auertens à cultu veri Dei. ſimiles maledictis gentibus, quę prohibebant ingreſſum terræ promiſſionis. Aldhelmus lib. de laudibus virginitatis, mira quædam narrat de Ven. archimandrita Apollonio, & inter alia, quòd cùm aliquando lis ſatis cruenta inter duos populoſos credentium & incredulorum pagos gereretur, fortuito caſu contigerit, vt præfatus vir Dei armatas peltarum teſtudine cateruas iamque ſtrictis mucronibus alternatim ſe iugulaturas offenderet: qui cùm verbis pacificis confuſam vtriuſque vulgi ſimultatem magnopere mitigare niteretur, & exortam furentis cunei crudelitatem ſedare tentaret; quidam incentor & fautor

Acedioſus etiam aliorum virtutes impedit.

Matth. 16. 23.

Oſee: 5: 1.

Ierem. 5: 26.

Concordiā inter pugnaturos ineundam impedire conatus, punitur.

fautor certaminis bacchanti & furibundo ſtrepitu reſtitit, dicẽs ſe ſpreta pace ad mortem pugnaturum. Tum ſanctus; optata tibi verbi fortuna contingat. Cæteris reconciliatis, ſolus vltricem cruentæ mortis vindictam ſenſit: nefandum cadauer volucrum roſtris laceratum, beſtiarũ rictibus corroſum, communi ſepultura caruit. Qui progreſſum virtutis in alijs impediunt, eos Deus punire ſolet, infirmitatibus, flagellis, & ſubitanea morte: tandem imponet eis in pœna & culpa, omnia mala quę facturi ſunt illi qui impediuntur ne Dominum ſequantur; & bona quæ ipſi vel feciſſent vel facere potuiſſent ſi conuerſi fuiſſent; & mortem item eorum quos à bono retrahunt.

Aliæ illorũ pœnæ.

Si otioſus & ipſe bonum negligat & in alijs impediat, quid ſequetur, niſi vt ad profundum vitiorũ demerſus impœnitẽs & deſperās moriatur? Impœnitẽtiã capere potes duobus modis. Primò, quando quis actu non pœnitet de peccatis ſuis, & differt vel negligit pœnitere. Secundò, quando non proponit pœnitere, imò proponit non pœnitere, vel dies ſuos cum finali impœnitentia claudit. Hęc eſt vitiorum receptaculum, virtutum & gratiarum obſtaculũ, Dei & angelorum offendiculum, Spiritus repugnaculum, malorum ſpirituum receptaculum & pabulum, perditionis vinculum, damnationis veneno ſiſſimum poculum: hæc animæ miſeræ cælum claudit, & eam ab omni ſpe ſalutis excludit, ac dæmonibus exponit: à conſortio Dei & Eccleſiæ eiicit, & in infernum proiicit: hæc cor hominis inſtar diaboli obturat, & in modum incudis indurat: hæc hominẽ morte ſubita præoccupat, vt quaſi viuens & videns in infernum deſcendat.

V. Impœnitentia duobus modis ſumpta.

Quanta mala efficiat.

Quoad deſperationem, peccata quæ opponuntur virtutibus theologicis ſecundum genus ſuum ſunt alijs omnibus grauiora: quia cùm virtutes theologicæ habeant Deum pro obiecto, peccata eis oppoſita directè & principaliter important auerſionem à Deo. Virtutibus theologicis opponuntur infidelitas, deſperatio, & odium Dei. odium & infidelitas ſecundum rationem propriæ ſpeciei ſunt grauiora: quia infidelitas prouenit ex eo quod ipſam Dei veritatem homo non credat; odium, quod voluntas hominis diuinæ bonitati contrarietur; deſperatio quod non ſperet ſe Dei bonitatem participare. Itaque odium & infidelitas

Vitia virtutibus theologicis oppoſita, ſunt grauiora.

litas ſunt contra Deum ſecundum quod in ſe eſt, deſperatio autem ſecundum quod eius bonum participatur à nobis. Vnde maius peccatum eſt ſecundum ſe loquendo, non credere Dei veritatem, vel odire Deum, quàm deſperare conſequi gloriam ab ipſo. Sed quantum eſt ex parte noſtra, deſperatio periculoſior eſt: quia ſpes reuocat à malo, & ducit ad bonum; ſpe ſublata, effrenatè in vitia itur.

VI. Deſperato, ſpei incentiua propoſita.

Erige te, homo puſillanimis: cur non ſperes, cui ſuppetunt tot ſpei incentiua? Innumera ſunt diuinæ pietatis exempla: immenſa eſt Dei miſericodia, & cui ſi omnia peccata comparentur, quaſi modica ſcintilla erũt in vaſto mari. Habemus & Matrem miſericordiæ SS. Virginem, aduocatam noſtram & matrem ſanctæ ſpei: accedit Chriſti Saluatoris amariſſ. paſſio & mors: SS. Sacramentorum auxilium: denique Dei liberalitas, qui dat veniam, auget gratiam, & in ſe ſperantibus, maiora conferre ſolet. imò eos inhabitat dicente Pſalmiſta: *Lætentur omnes qui ſperant in te, in æternum exultabunt & habitabis in eis.* (Pſ. 5:12.) His miſericordiam præſtat: *Sperantem in Domino miſericordia circumdabit.* (Pſ. 31:10.) Spes contra aduerſa confirmat: *Fortiſſimum ſolatium habeamus qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem* &c. (Heb. 6:18.) Spes beatificat. *Beati omnes qui confidunt eo.* (Pſ. 2:13.) Hanc ſpem habuit religioſus iſte qui apud pium quendam fratrem inſtitit vt Deum rogaret, dignaretur oſtendere, an de numero ſaluandorum eſſet. Alteri vix precibus victo, tamen oranti oſtenſum eſt, fratrem illum eſſe de numero damnandorum, quod cùm ad tempus celaſſet, tandem inſtanter requirenti, aperuit. at ille minimè turbatus, reſpondit: Benedictus Deus, nec tamen ſic deſperabo; ſed pœnitentiam quam per ingreſſum religionis aſſumpſi, de cætero duplicabo & triplicabo, donec gratiam & miſericordiam apud Deum inueniam. Pòſt multos inde dies iterum prædicto fratri reuelatum eſt, quod alter eſſet de numero ſaluandorum: quod cùm eidem retuliſſet, lætus perſeuerauit. Vtinam multi animati hoc exemplo manum ſuam ad fortia mitterent, & non deſperarent vel deficerent, quia ſic agendo, Deum ſibi propitium inuenirent, ait Ludolph. à Saxonia. (2. p. vitæ Chriſti c. 50.)

Egregia ſpes cuiuſdam religioſi.

VII. Deſperatio quàm mala.

E contrà, deſperatio innumera mala ſecum ducit. hæc eſt infirmitas ſpernens omnem cõſolationem, refectionem, remedium: non vult miſer homo à

X dæmonum

dæmonum faucibus ſe eripere; non vult è vitiorum profundo ſe erigere: & quàm exoſum ſe facit Deo, qui eius bonitatem detrectat? deſperatio hominem ab omni bono temporali & æterno auellit, ac in infernum impellit. Impius Cain, inuidia ſtimulante, fraternę cędis cruore ſceleratas polluit manus. Maledictionis pœnam is vitare potuiſſet, ſi pœnitens Dei miſericordiam imploraſſet: ſed execrabilior factus eſt poſt reatum parricidij, dicens maiorem eſſe
Gen. 4:13. ſuam iniquitatem quàm vt veniam mereretur. Iudas Iſcariotes de culmine ipſo apoſtolatus in barathrum inferni infeliciter corruit, non vtique quia Dominum vendidit, ſed quia eo vendito magis de flagitio doluit, quàm de venia ſperauit.

*Tract. 33. in Ioan.* Verum optimè monet S. Auguſt. ex vtroque homines periclitari, & ſperando, & deſperando. Sperando decipitur, qui dicit; bonus eſt Deus, miſericors eſt, faciam quod mihi lubet, laxem habenas cupiditatibus meis, impleam deſideria animæ meæ. ille ſpe periclitatur. Deſperatione autem, qui cùm inciderit in grauia peccata, putans ſibi non poſſe iam ignoſci pœnitenti, & ſtatuens ſe ad damnationem ſine dubio deſtinatum, dicit apud ſemetipſum: Iam damnandus ſum, quare non quod volo facio? hunc deſperatio necat, ſpes iſtum. Itaque illi qui ſpe periclitatur, dicitur: *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* (*Ecc. 5:8.*) Illi verò qui deſperatione periclitatur, dicitur: *Si impius egerit pœnitētiā ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, omnium iniquitatum eius quas operatus eſt, non recordabor.* (*Ezech. 18: 21.*) Ergo propter illos qui deſperatione periclitantur, propoſuit indulgentiæ portum: propter illos qui ſpe periclitantur, & dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum.

Homines periclitantur, tam ſperādo, quàm deſperando.

CAP.

# CAPVT XI.

## Acediæ varia remedia.

*SVMMARIVM.*

*I. Contra acediam ſtrenuus labor requiſitus: labore hoſtis ſuperatur.*

*II. S. Tereſæ labor: hinc clauſis cancellis vſa. exemplum ſuperioris efficax.*

*III. Quæ ſpiritualia exercitia aſſumenda: quatuor præcipuè. caro ſub diſciplinâ tenenda.*

*IV. Piorum librorum lectio. In ſcriptura S. quatuor Spōſi cellaria. Laus eius ex Trithemio. eâ Eunuchus feliciter vſus. ad idem quis à Magno Gregorio excitatus.*

*V. S. Bernardus vt eâ ſit vſus. S. Chryſanthus euangelij lectione conuerſus: Auguſtinus Pauli ſcripto: duo aulici per vitam Sancti Antonij.*

*VI. Legenda quæ ædificant: ſcriptura ſimplici ſtylo verax. Hermāni Steinuelden-ſis prudens iudicium. Librorum impiorum lectio quantum malum.*

*VII. Feruens oratio contra acediam: ſit illa humilis, cùm ſpe, munda, deuota. cor tepidum locus ſatanæ: tepidus à Deo non auditur.*

*VIII. Orationis attentæ ſexdecim fructus.*

*IX. Sit continua & perſeuerās. Ieſus nobis refugium. Oratio legatus fidelis.*

*X. Acediam fugat meditatio Paſſionis: tria in ea præcipuè conſideranda. Crucifixus ob oculos poſitus. Stephani abbatis meditatio.*

*XI. Memoriæ paſſionis octo fructus.*

*XII. Per eam quidam à graui afflictione liber. Thomas Morus huius in morte memor. Lydvvinæ ſedula meditatio.*

*XIII. Acediam pellit conſortium ſtrenuè laborantium.*

*XIV. Contrà eam pericula cõſideranda: & petendum donum fortitudinis. eius imago. ad hoc conducit Confirmationis Sacramentum: vnde dictum, eius ritus &c.*

*XV. Acedia Dei timore pellitur. vires S. timoris in ſex apparent. tepidus meritò timet: quædam ei conſideranda.*

*XVI. Memoria nouiſſimorum. Pro cælo agenda quæ vouet & proponit nauta inter fluctus, incarceratus, ægrotus. Chriſtus bonis pater, malis iudex. vigilia ſit continua, ne ſit fruſtranea. memorare nouiſſima.*

*XVII. Iudicij memoria efficax. particulare iudicium, quale: cur neceſſe ſit & vniuerſale. qui contra nos teſtes futuri.*

*XVIII. Gehenna acediæ antidotum. ibi malorum omnium caterua.*

*XIX. Gloria acadiæ remedium. cælum quærenti labor neceſſarius: ſequetur felicitas, ſed præcedit labor. poſt modicum laborem Deum videbimus.*

I. Acediæ quatuor remedia.

VIdemus quantum malorum vnum illud vitium nobis ferat. Morbum deteximus. reſtat vt generalia nunc remedia præſcribamus. Thomas à Kempis hæc præſcribit. (*In doctrinali iuuenum. c. 10.*) *Tepor cordis grauis animæ morbus generat tædium operis, & quærit ſolatium foris parui valoris. Non vincitur meliùs, niſi diligentia boni operis, ſtudio ſacræ lectionis, & vſu frequentis orationis, tum memoria Dominicæ paſſionis.* Itaque.

Strenuus labor requiſitus.

I. Acediæ remedium erit ſtrenuus labor, ne poſſit ægere remiſsè, aliaque pia ac fortia exercitia. Ferri naturam habemus, validiores & clariores efficimur per laborem; è contrà, & per otium pleni ſumus ſcabie ægritudinum. (Variæ ſimilitudines.) equus generoſus in ſtabulo quieſcens marceſſit, bonus colonus non erit niſi qui fuerit gnauus & induſtrius, & rei ruſticæ ſtudio accenſus: opifices qui non de multa nocte vigilant, nil laude dignum efficiunt: apes inter ſe otioſas non patiuntur, ſed occidunt. Audi S. Chryſoſt. *Sudores illi* (homini) (*Tom. 5. de prouid. Dei l. 1.*)

adie-

*adiecit & labores : nihil enim minus otio & quieti natum eſt, quàm hominis natura. Si enim his addicti ne ſic quidem peccare deſiſtimus, quo ſcelerum progreſſa non eſſet audacia noſtra, ſi nos affluere delitiis & otio conſtituiſſet Deus? Omnia enim, inquit, mala otioſitas docuit. Atteſtantur huic noſtræ rationi & quæ quotidie fiunt, & quæ maioribus noſtris contigerunt.*

Labore hoſtis ſuperatur. Si omnia mala docet otioſitas, omnia bona docebit labor. Labore opus eſt. hoſtis ſæuiſſimus nos circumdat, & à bono retrahere conatur : ne timeamus, labore vincitur. Teſtem habeo eundem Chryſoſt. ſic loquentem : *Torpeſcit virtus, vbi certamen defuerit, & facilè hoſtis malitia coaleſcit, ſi pigreſcat animus repugnantis. Sine labore autem vincitur inimicus, ſi ſit qui dimicat, vigilans & intentus. adeò roborantur vires exercitatione frequenti. Cæterùm laboris deſidia, inſoleſcit hoſtis ſæuitia.* &c. Ideo prudenter tentatori contra acediã reſtitit ille, de quo ſcribit S. Ephrem *Fratri cuidam ſuggerebant cogitationes tempore vigiliæ dicentes : Requieſce hodie, & noli ad vigilias ſurgere. At ille : Cogitate heri non ſurrexiſſe, & hodie ſibi ſurgendum eſſe. Et de opere aggrediendo rurſus ei ſuggerebant ; Quieſce hodie & cras operaberis ; illeque iterum reſpondit : Nequaquam, ſed hodie operare ; & cras*

*T. 1. ferm. de interdictione arboris ad Adam.*

*Doctrina varia c. 47. t. 2.*

Vt quidam reſtiterit dæmoni per acediam tentati.

*de craſtino Domino cura erit.* Ideoque idem author monet: *Enitere vt quotidie aliquid agas, dieique opus ad diem adiungas, & mens tua non illaqueata curis atque moleſtiis, liberiùs vacet orationi.*

*Ibidem. cap. 57.*

II. Egregia virago Thereſa ſatis perſpexit, vtili labore malum vitari, bonum foueri ; ideoque continuò ſuas laborare & exerceri voluit. Franciſcus de Ribera de ea narrat, quod etſi aſſiduis propè ſemper infirmitatibus conflictaretur, laboris tamen operiſque cultrix erat indefeſſa, ac quoties per neceſſarias occupationes licebat, nunquam non operi inſiſtebat : hinc vel filum ducebat, & aliorum penſa diſcriminabat, vel ſuebat, vel aliud eius generis exercitium vſurpabat ; adeo vt ne vel momento vacaret. Quin etiam cum viris grauibus ac proceribus collocutura ad cancellos prodibat, ſemper aliquod manuale, vt interim inibi operaretur, penſum adducebat : dicebat vtile inprimis eſſe, clauſis cancellis externos affari, quod cùm ſermo cum illis miſcetur, aut vitta componi, aut aliquod manuale opus peragi cõmodè poſſet. Iam quod ipſa id ſedulò ſeruaret, nulla omnino domi monacha erat quæ non imitaretur, & vel minimum auderet otiari. Hinc cùm quædam monialis

S. Tereſa indefeſsè laborat.

*In eius vita l. 4. c. 19.*

Cur ſuas clauſis in cancellis vti voluerit.

Exemplum Superioris quid poſſit.

nialis ſuum penſum iam abſoluiſſet, fuſi pleni filum in aliud glomus conuoluit, vt otium hoc pacto & tempus falleret; ſimul etiam ignominiam quam incurriſſet, ſi in conſpectu matris ſuæ otioſa apparuiſſet, euitaret: quæ ſedulitas cum mirè illi placuiſſet, monialem de facto laudauit. Porrò, ſi inter ipſum opus tædium aliquod ſubindè obrepat, præſens remedium videtur varietas actionum, & vt ab vno opere ad aliud tranſeat.

III. Quoduam ſpirituale exercitium maximè aſſumendum.

II. Quoad alia pia exercitia; bonum erit cogere ſe ad id ſpirituale ſtudium, quod homo maximè faſtidit: idque donec Dei gratia vertatur in oblectationem. Quæ gratia ſi differatur; meritum creſcit, & virtus roboratur: quia poſſibile eſt, plus mereri in pugna laboris pro habenda deuotione v. g. etiamſi non proficias, quam ſi multæ deuotionis eſſes. Apud S. Bernardum author tract. de vita ſolit. ad fratres de monte Dei, ſic monet: *Singulis horis ſecundum communis inſtituti canonem ſua diſtribue exercitia: cui ſpiritualia, ſpiritualia; cui corporalia, corporalia, in quibus ſe exoluat omne debitum, ſpiritus Deo, corpus ſpiritui: vt ſi quid fuerit intermiſſum, ſi quid neglectum, ſi quid imperfectum; ſuo modo, ſuo loco, ſuo tempore non abeat impunitum vel irrecompenſatum*. Sic ibi.

In quatuor præcipuè exerceri poſſumus.

Verùm in his quatuor contra acediam ſalubriter exerceri poſſumus. I. Aut Deo intendere orando, pſallendo, meditando, deuotioni inſiſtendo. II. Aut de Deo tractare legendo, ſtudendo, ſecum conferendo, diſcendo, docendo. III. Aut pro Deo laborare operando, ſeruiendo, corpus caſtigando, virtuti ſtudendo. IV. Aut corpus moderatè reficere quieſcendo, cubando, vt ſpiritui ſeruiat. Sed contra carnem domeſticum nobis inimicum acediæque cognatum magna diſcretione opus eſt. *Cibaria, & virga, & onus aſino: panis, & diſciplina, & opus ſeruo*. Aſinus indiget pabulo ne deficiat, onere ne laſciuiat, virgâ quâ regatur: ſeruo competit panis ad ſuſtentationem, diſciplina ad correctionem, opus ad exercitium. S. Cyprianus his verbis diſciplinam prædicat: *Diſciplina cuſtos ſpei, retinaculum fidei, dux itineris ſalutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magiſtra virtutis facit in Chriſto manere ſemper, ac iugiter in Deo viuere, ad promiſſa cæleſtia, & diuina præmia peruenire*. Sic ille.

Caro domanda.

*Eccli. 33:25.*

*Tract. de habitu virginum in initio.*

Laus diſciplinæ.

IV. Piorum librorũ lectio contra acediam.

III. Acediæ remedium eſt, Scripturam ſacram, pulcherrima SS. Patrum monita, alioſque pios libros crebrò euoluere.

In

Laus Sacræ Scripturæ. In Scriptura quidem ſacra, quod ſcribitur verum eſt, quod docetur virtus eſt, quod pollicetur vita æterna eſt. Hæc eſt quæ intellectum mentis erudit, & à mundi vanitate hominem abſtractum ad amorem Dei perducit. Hic ſunt cæleſtis regis cellaria, de quibus loquitur Cant. 1. 3. ſponſa: *Introduxit me rex in cellaria ſua.* Ad quem locum Hugo Charenſis; *Cellaria ſponſi, ait, ſunt* In Scriptura S. quatuor diverſa Regis ſponſi cellaria. *diuerſæ intelligentiæ S. Scripturæ. Primùm cellarium eſt hiſtoria, quæ eſt quaſi grangia palearia, ſolùm cibum continens iumentorum. Secundum eſt tropologia, in qua ſunt tres cellæ. prima eſt frumenti vini & olei ad reficiendum: ſecunda pigmentorum & aromatum ad delectationem: tertia eſt vnguentorum ad ſanitatem & medicationem. moralitas enim reficit comedentes, delectat audientes, ſanat vtentes. Tertium cellarium eſt allegoria, quod continet arma militantium, ſc. ſcuta aurea & loricas, & lanceas: quas fecit Salomon 3. reg. 10. id eſt myſteria Chriſti, & Eccleſiæ militantis. Quartum cellarium eſt anagoge, quod non niſi aurum probatiſsimum continet & lapides pretioſos: agit enim tantum de Eccleſia triumphante, & de his quæ ad eam pertinent.* Hactenus Hugo. Scripturæ S. lectione mens hominis excitata, amore ſapientiæ accenditur, & tantò amplius vana ſpes pereuntium rerum vileſcit, quantò eius lectione ſpes æterna claruerit. Hugonis Victor. l. de anima ſententia eſt: nihil in hac vita dulcius ſentiri, nihil auidius ſumi, nihil ita mentem ab amore mundi ſeparare, nihil ſic animam contra tentationes roborare, nihil ita hominem excitare & adiuuare ad omne opus & ad omnem laborem, ſicut ſtudium S. Scripturæ.

Non poſſum omittere, quin ad propoſitum adiungam verba Comment. ad cap. 4. reg S. Benedicti. (etſi longiora) I. Trithemij abbatis Spanheimenſis viri ſuo tempore valdè eximij, qui ſacræ lectionis vtilitatem hoc modo proponit: *O ſacra lectio, quid de te noui in medium proferam? Tu Deum hominibus facis cognitum, iucunditatem futuram oſtendis.* Laus lectionis ſacræ ex Ioan. Trithemio. *Tu mæſtos conſolaris, infirmos confortas, deſolatos colligis, errantes corrigis, & ad viam veritatis reducis: humiles exaltas, pauperes ditas, & mentes hominum ad inuiſibilia bona concupiſcenda ſurſum eleuas. Quotieſcumque tribulatus, quoties contriſtatus, in omnibus humanis præſidijs nullum inuenio refugium, tu ſola me conſolaris, tu ad patientiam me hortaris, plurima dona promittis, & ad imitandos SS. Patres me inuitas. Tu poſt Deum, imò Deus in te vnica ſpes mea. quod non præſumit infirmitas, dare te opem polliceris, tu adimples. Cùm tædium præſentis*

*vitæ*

*vitæ me contriſtat, ad te recurro, tu mihi robur infundis, tu mihi SS. exempla proponis: tu torpentem animum mirabiliter excitas, & vt ſequatur veſtigia ſanctorum dulciter inflammas: ignem fortiſſimum accendis, quem omnes aduerſarij animæ formidant. O lectio ſacra, tu amica mea, tu dilecta mea: in ſinu tuo ab æſtu repauſo, & dulciter in te requieſco. tu ſolatium meum in omnibus anguſtiis meis, tu releuamen in omnibus tribulationibus quibus iugiter affligor: tu ſcutum meum contra omnes aduerſarios meos. Tu ductrix mea, quæ viam Dei oſtendis. Tu ſoror es ſanctæ humilitatis. Tu es quæ Deo multas animas lucrata es: quoniam Dei potentiam oſtendis, ſimul & miſericordiam: vt omnis qui te intelligit, à ſpe rectitudinis nunquam ceciderit. Beatus homo qui te diligit qui viam Dei in veritate doces, & nullius recipis perſonam, nec eſt tibi cura de aliquo. O ſoror mea & electa ſponſa: te mihi elegi in matrem, ſororem & ſpõſam. Tu enim ex ruſtico nobilem facis, ex paupere diuitem, ex peccatore pœnitentem: quoniam omnes qui te diligunt, maximos prouehis ad honores,* &c. Hæc omnia Trithemus.

Eunuchus Candacis Iſaiam legens conuerſus.

Notum eſt exemplum Eunuchi Candacis reginæ Æthiophum, qui venerat adorare in Ieruſalem: cumque expleto pietatis officio legeret Iſaiam, à Philippo Dei iuſſu miſſo fit repentè Chriſtianus, magnamque illius regionis partem euangelica veritate imbuit. Theodorus medicus Conſtantinopolitanus miſerat ad D. Gregor. Epiſc. Rom. magnã pecuniarum vim pro captiuorum redemptione. Eius liberalitatem PP. commẽdat, negligentiam tamẽ in euoluendis SS. literis reprehẽdit, his verbis: Imperator cæli, dominus angelorum & hominum, pro vita tua tibi epiſtolas ſuas tranſmiſit, & tu illas ardenter legere negligis? quid eſt enim ſcriptura S. niſi quædam epiſtola omnipotentis Dei ad creaturam ſuam?

S. Gregorius quendam minus pronum ad S. lectionẽ, increpat.

*Lege l. 4. epiſt. ep. 84. & l. 6. ep. 189.*

V.

S. Bernardus vt ſcripturam S. tractauerit.

D. Bernardus Clareual. dum ab opere corporali vacaret, iugiter aut orabat, aut legebat, aut meditabatur. Canonicas ſcripturas ſimpliciter ac ſeriatim libentiùs ac ſæpius legebat, nec vllis magis quàm ipſarum verbis eas intelligere ſe dicebat: & quidquid in eis diuinæ ſibi elucebat veritatis & virtutis, in primæ ſibi originis ſuę fonte magis, quàm in decurrentibus expoſitionũ riuis ſapere teſtabatur. Sãctos tamẽ & orthodoxos humiliter legens, ſæpè de fonte vnde illi hauſerant, ipſe bibebat. Inde eſt quod plenus ſpiritu, quo omnis ſcriptura diuinitus eſt inſpirata, tam confidenter & vtiliter

liter ea vſque hodie vtitur ad docendum, arguendum, corripiendum, erudiendum; & dum prædicat verbum Dei, quidquid de ea affert in medium, ſic patens & placens efficit, vt mirentur omnes in verbis gratiæ quæ procedunt de ore eius.

*Vvilhelm. abbas vita l. 1. c. 4. & ex eo Theatrum V. liber.*

S. Chryſanthus lectione Euangelij conuerſus.

Chryſanthus magni ingenij adoleſcens cum Polemio patre Alexandriâ Romam profectus, cùm omne ſcriptorum genus diligenter conquireret, incidit in libros euangeliorum. Quibus accuratè perlectis ſic ipſe ſecum: Tamdiu te decuit Chryſanthe, tenebrarum libros euoluere, quoad lumen veritatis inuenires? Non eſt ſapientis nec prudentis, vt à lumine rurſum ad tenebras reuertaris: perderes enim labores quos ſuſcepiſti, ſi laborum fructum abiiceres. Eſt autem laborum fructus qui à Deo quærentibus datur; ſic enim præcipit Deus quemadmodum legiſti: Quærite, & inuenietis. quamobrem ſi quod quæſiſti atque inueniſti reliqueris; amentibus ac ſtultis eris ſimilis. Studioſè ergo complectere, quod toto animo eſt complectendum. aurum inueniſti, inueniſti argentum, inueniſti lapides pretioſos. Idcirco quæſiſti, vt reperires; & ideo repeperiſti, vt poſſideres. Caue ſinas à te diripi, quod inueniſti. Vtere fruere primitiis laborum tuorum, & vide ne ſi eas reieceris, fruſtra conquiſiſſe atque ea petiſſe videare. Hæc locutus, vt eloquentes & literatos quandoque audierat, ita nunc cupiebat magiſtros indoctos & piſcatores inuenire. quia legerat iam Apoſtolum dicentem; vbi ſapiens? vbi ſcriba? vbi inquiſitor huius ſeculi? nónne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi? aliaque talia. Itaque ſeruos Chriſti quærens, cuidam occurrit, qui dicebat, ſe noſſe virum Chriſtianum nomine Carpophorum, SS. ſcripturarum peritiſſimum, ſed ob perſecutionem latentem. Chryſanthus narrantis genua complexus indicari ſibi locum petijt. Carpophorum conueniens, paucis menſibus SS. ſcripturas didicit, & in fide confirmatus perfectus euaſit in Chriſto, adeò vt ſeptimo poſt baptiſmum ſuſceptum die Ieſum Chriſtum Filium Dei prædicaret.

*Surius in vita SS. Chryſanthi & Dariæ martt. ad 25. Octob.*

S. Auguſt. Pauli epiſtolas legẽs.

Nónne Sanctus Auguſtinus ſub arbore fici lacrymis habenas laxans, & vocem audiens; Tolle, lege Pauli epiſtolas aperuit, pauca legit, & omni tempore excuſſo ſe totum Chriſtiano labori addixit? Idem ex Politani ore narrat, duos aulicos cùm Imperator apud Treuiros Circenſium ſpectaculo teneretur,

tur, exiſſe deambulatum in hortos muro contiguos, & in quandam caſam irruiſſe, vbi habitabant quidam Dei ſerui, & inueniſſe ibi codicem in quo ſcripta erat vita Antonij: cœpiſſe legere, & mirari, & accendi, & inter legendum meditari arripere talem vitam, & relictâ militiâ ſeruire Deo: & ambos cor cœlo affigentes in caſa remanſiſſe. En vt illi otioſam aulicorum vitam ſacrâ lectione in Chriſtianam diſciplinam commutauerint.

[D]uo aulici [le]gentes vi[t]am S. Antonij.

VI.

Legenda, nō tam quæ delectent, quàm quæ ædificent.

Verùm, proh dolor! Multi libentiùs legunt quod delectet, quàm quod ædificet. Cur Dominus ſibi in apoſtolos non aſſumpſit doctores, philoſophos, naturæ inueſtigatores? nónne ideo vt ſtultam faceret ſapientiam huius mundi? vnde benè quodam loco Iſiodorus ait, omnem ſecularem doctrinam ſpumantibus verbis reſonantem, ac ſe per eloquentiæ tumorem attollentem, per doctrinam ſimplicem & humilem Chriſtianam euacuatam eſſe. Ideo libri ſancti ſimplici ſermone ſcripti ſunt, vt non in ſapientia verbi, ſed in oſtenſione ſpiritus, homines ad fidem reducentur. Nemo quantumcumque doctus ſibi videatur, piam illam ſimplicitatem contemnat, ſed cogitet melius eſſe ſi verio-

Scriptura S. ſimplici ſtylo veritatem docet.

ra, quàm ſi diſertiora audiat. Nihil proderit in vana doctrina proficere, & in diuinis inaneſcere: caduca ſequi figmenta, & cœleſtia faſtidire myſteria.

Recreauit me quandoque quod legi de Hermanno Steinueldenſi Canonico ex Ordine Præmonſtratenſi, quem eximia ſanctitas, & ſingularis erga B. Virginem deuotio mirabiliter ſublimauit: de quo ita narrat hiſtoria vitæ: Quoties more puerorum fabulas poëtarum vel diſcere iubebatur vel legere, non tulit patienter: imò & ipſos ſe docentes, ſuper quos iam intus ſpirituali vnctione docente profecerat, reprehendit, aſſerens, quòd Deo vero contumeliam irrogarent falſorum Deorum nomina in poëtarum libris etiam recitando: ſolebatque nobis poſtmodum de quibuſdam magiſtris ſuis, qui cæteros religione anteire videbantur, narrare, ſe non ſufficienter admirari, quòd viri religioſi in ſcriptis poſſent poëticis delectari, cùm tanta ſint ſcripta veritate ſubnixa, per quæ ad Dei poſſit notitiam perueniri. Quis enim niſi ſtultus, quærat librum inter ſpinas, vnde ſine punctionibus non poſſit abſtrahi, quod faciliùs & vtiliùs ſine læſione poſſit acquiri?

Ven: Hermani Steinueldenſis prudentiſſimum iudicium.

*Apud Sur. vita c. 9. die 7. April.*

No-

Lectio librorum impiorum, quantum malum.

Nouerat ſanctus ille iuuenis, quòd quantum veræ virtuti prodeſt piorum librorum lectio, tantum obſit eidem lectio ſcripti ethnici, impudici, hæretici, & ſimilium. Libri impudici, quòd omnes probitatis neruos elidant, animoſque legentium ſatis ex naturæ noſtræ corruptione procliues emolliant igni tradendi ſunt. Quoad libros religioni contrarios, ſi ſermo hominum improborum voce prolatus vt cancer ſerpit, multò magis id præſtabit ſcriptus aut editus: ſic enim omnium manibus verſabitur, omnium auribus excipietur, & mente reuoluetur: vnde & ea lues omnino eliminanda. Sanctiſſimum maximeque neceſſarium eſt, Concilij Tridentini decretum, quo libri qui res laſciuas ſeu obſcœnas ex profeſſo tractant, narrant, aut docent; cùm non ſolùm fidei, ſed & morum qui huiuſmodi librorũ lectione facilè corrumpi ſolent, ratio habẽda ſit, omnibus prohibentur, & qui eos habuerint, ſeuerè ab Epiſcopis puniri iubẽtur.

Meritò particulari decreto prohibiti ſunt.

VII. Continua & feruens oratio acediæ remedium.

IV. Acediæ remedium erit continua feruenſq; oratio. Hoc optatum ei remedium eſt, qui vitiorum tentamentis æſtuat, vt quoties quolibet tangitur vitio, toties ad orationem recurrat: nam frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit. Monitum Iſidori eſt; tam perſeueranter intendere animum noſtrum in orando atque pulſando, quouſque importunas carnalium deſideriorum ſuggeſtiones, quæ noſtris obrepunt ſenſibus, fortiſſima intentione ſuperemus: ac tamdiu inſiſtere, donec inſiſtendo vincamus. Oratio eſt animæ ſanctæ præſidium, angelô bono ſolatium, gratum Deo obſequium; dæmonibus flagellum.

*l. 3. de ſummo bono. c 7.*

Quanta attentio & intentio requiſita.

Vt tamen efficax acediæ aliorumque malorum ſit remediũ; Oratio ſit in primis humilitati nixa, vt acceptabilis ſit ei, qui ſuperbis reſiſtit, & humilibus gratiam tribuit. de quo dicitur; *Reſpexit in orationem humilium, & non ſpreuit precem eorum.* Deinde fiat cum ſpe firma impetrandi. talis ſit erga Deum orantis affectus, qui non deſperet precis effectum. Inaniter oramus, ſi ſpei fiduciam non habemus. Nónne diuina inſtitutione formati, Deum appellamus Patrem? cur non Dominum? quia paternitas ſpem, dominatio metum ingerit: vt quiſque noſtrûm ſecundum Iacobi monitum, *poſtulet in fide, nihil haſitans.* Sit etiam mens orantis munda ab omni labe peccati, ſaltem mortalis. ſcriptum eſt enim: *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet*

Oratio ſit humilis.

*Pſal. 101. 18.*

Cum ſpe firma impetrandi.

*Iac. 1: 6.*

Sit etiam munda.

*Pſ. 65: 18.*

*audiet Dominus.* Non proficit oratio, ſi denuò committitur, vnde venia poſtuletur. Oratio quoque cum magna deuotione fieri debet, & intentione mentis ad Deum: melior eſt oratio quam cordis intentio format, quàm illa quam verborum color exornat: fruſtrà ore oramus ſi non corde ſimul precemur: oratio cordis eſt, non labiorum: non attenditur ad verba deprecantis, ſed aſpicitur cor orantis. Meritò audiri quidam petiit, quia toto corde clamauit, dicens: *Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine.*

Cum magna deuotione fiat.

Pſ.116:145.

Verè, ideo tot otioſi & acedioſi reperiuntur, quia à paucis attentè oratur. raro in cor deſcendunt orantes, & parum perpendunt, qui cum quo loquantur. Hinc ſatan ſibi locum inueniens, tepido cordi quæcumque mala deſideria confidenter inuehit. non timet orationem vbi non cernit feruorem, & tepido conuenire nouit: *Oratio eius fiat in peccatum.* Cuiuſdam pij patris ſententia eſt: *Licet aliquando tepidus attentè oret, & eius attentio digna ſit exaudiri, non idcirco tamen exaudietur, ob vim tepiditatis, quæ tanta eſt, vt ſola impediat omnem aliam precum virtutẽ. Quãuis etiam tepidus aliquando exaudiretur, niſi tamen arceat tepiditatem, gratia obtenta in eiuſdem tepidi conuertetur perditionem.*

Cor minùs attentum & tepidum. ſatanæ locus eſt.

Pſ 108:7. *Lege hymnodiam Anacleti Sicci l. 3.c.14.*

Tepidus à Deo non auditur.

VIII.

Fructus attentæ orationis.

Orationis verò attentæ fructus & effectus, ſic è Sacris eruit Hugo Card.[a] Oratio deſiderium accendit. vnde [b] ad Eliæ preces ignis deſcendit. Cor ſerenat. vnde cùm malignus ſpiritus exagitaret Saul, Dauid citharâ canens & orans eum profligauit.[c] Caſum euitat. *Laude mea infrænabo te, ne intereas.*[d] Diabolum fugat. figura fuit, cùm tuba cecinerunt hi qui erant cum Iuda Machabæo, & congreſſi gentes cõtriuerunt.[e] Torporem animi excutit. *Non impediaris orare ſemper.*[f] Veniam peccati impetrat. ita quidam pœnitens ſtatim audiuit: *Dominus tranſtulit peccatum tuum, non morieris.*[g] Vitam ad pœnitentiam faciendam prolongat. ita Ezechiæ oranti, additi ſunt vitæ eius 15. anni.[h] Sanitatem torporis impetrat. *Fili in tua infirmitate ne deſpicias teipſum, ſed ora Dominum, & ipſe curabit te.*[i] *Oratio fidei ſaluabit infirmum.*[k] Deum iratum mitigat.[l] Gratiam impetrat. vnde Zacharias orando Ioannem impetrabat. Item ſapientiam & ſcientiam, vt patet in Salomone. A carcere peccati liberat. Signatum eſt in Iona, quem orantem de profundis aquarum cetus euomuit. Temporalia multiplicat bonis, & aufert

a *t.6.ad c.6. S. Matthai.*

Deſiderium accendit, cor ſerenat.

b 4.*Reg.*1.& 3.*Reg.* 18.

Caſum euitat.

c 1.*Reg.* 16:23.

d *Iſaia* 48:9.

Diabolum fugat.

e 1.*Machab.* 4.13.

Torporem pellit.

f *Eccli.* 18.22.

Veniam impetrat.

g 2.*Reg.* 12.13.

Vitam prolongat.

h 4. *Reg.* 20:6.

Sanctitatẽ impetrat.

i *Eccli.* 38 9.

Deum mitigat.

k *Iac.* 5:15.

l *Lege Tobia c.* 3.

Gratiam impetrat.

A peccati carcere liberat.

Temporalia auget.

3. *Reg* 17.: 1. fert malis. ita Elias oratione cælum clauſit & oratione iterum cælum aperuit. Confortat & audaciam præſtat, vt ſatis patet in ſanctiſſima fæmina Iudith. Opprobrium tollit, vti Annæ Raguelis filiæ Tobiæ 3. Pacem & quietem conſeruat. vnde obſecrat Paulus fieri orationes, obſecrationes, poſtulationes pro omnibus hominibus, pro regibus aliiſq; in ſublimitate cõſtitutis, *vt quietam*, inquit, *& tranquillam vitam agamus.* Denique docet quid agendum. ita enim precatur rex Ioſaphat: *Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.* Hactenus Hugo Card.

3. Reg. 18: 43.
Confortat.
Opprobriũ tollit.
Pacem ſeruat.
1. *Tim.* 2:2.
Agenda docet.
2. *Paralip.* 20:12.

IX. Denique vt efficax ſit oratio, & fructus eius melius cognoſcantur, ſit continua & perſeuerans. Iugi oratione Deus à nobis quæſitus, inuenitur: nec enim nos ad petendum hortaretur, niſi dare vellet; nec moneret quærere, niſi vellet inueniri: differt ſæpe dare, vt doceat petere, & ſimulat audire petentem, vt faciat perſeuerantem. Magdalena quærens perſeuerauit, & Ieſum videre meruit. Si quo tædio aut tentatione grauemur; ſtatim ad dulciſſ. Saluatorem noſtrum, tanquam paruuli ad matris gremium curramus; totum ipſi reuelemus, totum ipſi committamus, totum in ipſum iactemus; & proculdubio orantibus aderit. Huic adhærentibus nullus acediæ locus, nihil proficiet inimicus in nobis; reuera, ſi nobis quandoque grauis eſt hoſtis tentatio, longè grauior eſt illi noſtra oratio.

Sit cõtinua oratio & perſeuerans.
Chriſtus refugium noſtrum.

At vt militibus ad bellum exire ſine armis non licet: ita vnuſquiſque noſtrum ſine oratione nullibi procedat. hæc exeuntes comitetur, hæc redeuntibus occurrat. Oratio eſt nuntius fideliſſimus, notus ſummo regi, totique cæleſti curiæ, qui in ſecreto noctis ſilentio per occultas ſibique notas ſemitas, arcana cæli penetrare, regis cubiculum adire, & ſua importunitate prouidaque ſupplicatione regis animum flectere, & laboranti opem impetrare nouit. Oratio regis altiſſimi amica inter nos & Deum fert legationem, nobis benedictionem reportat, Deum iugi obſequio honorat. Decet nos ergo in oratione velut in præſentia Dei, & angelorum conſpectu aſſiſtere, & diligenter attendere, ne quid diſtractionis menti obrepat, quod oculos tantæ maieſtatis offendat.

Oratio legatus ſummo Regi familiaris.

X. V. Acediæ remedium erit, Dominicæ paſſionis ſedula meditatio. nullus labor adeò grauis,

Meditatio Paſſionis acediam fugat.

Quid de ea nobis cogitandũ.

uis, qui non cum gaudio ſuſcipi poſſit, ſi Chriſti paſſio ad mentem reuocetur. Cogitanda nobis ſunt, eius dilectio, reamando; eius amaritudo, compatiendo; eius fortitudo, aduerſa patienter ſuſtinendo; & vtilitas eius, gratias agendo. Vel, vt ait S. Bernardus in paſſione Domini tria ſpecialiter conuenit intueri, opus ſc. modum, cauſam: nam in opere quidem patientia, in modo humilitas, in cauſa charitas commendatur: patientia ſingularis, humilitas admirabilis, ſed charitas inæſtimabilis.

*Serm. de paſſ. Domini.*

Tria præcipuè.

Videte ſegnes, & acedioſi, quantum pro vobis tulerit, pro quo vel modicum ferre renuitis. Recogitate eum qui mortem nobis moriendo deſtruxit, ne animo deficiatis, qui nondum vſque ad ſanguinem reſtitiſtis: caput angelicis tremebundũ ſpiritibus denſitate ſpinarum pungitur: facies pulchra præ filiis hominum ſputis Iudæorum deturpatur: oculi lucidiores ſole caligantur in morte: aures quæ audiunt angelicos cantus audiunt peccatorum inſultus: os quod docet angelos, felle & aceto potatur: pedes quorum ſcabellum adoratur, cruci clauo affiguntur: manus quæ formauerunt cælos, ſunt in cruce extenſæ & clauis affixæ: corpus verberatur: latus lanceâ perforatur: & quid plura? non remanſit in eo niſi lingua, vt pro peccatoribus oraret, & matrem diſcipulo commendaret.

Crucifixus ob oculos poſitus.

Contemplamini æneum ſerpentem à Moyſe diuino inſtinctu poſitum, vbi turbæ morientium venenati ictus remedium aſpectus dedit. *Tam prompta aderat ſalubritas medicandi, quàm velox erat felicitas intuendi* (ait S. Cæſarius Arel.) *ſequebatur certum ſub momẽtanea contemplatione remedium, quia latebat in ſerpente myſterium. quis vel cogitare iſtud auderet, niſi ipſe myſterij expoſuiſſet figuram, qui figuræ ipſius ſuſcepit iniuriam? qui proprio per euangelium teſtatur oraculo: ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis.* Tam ſalubriter ergo videbant ſerpentem redimendi, quàm ſalubre cùm aſpexerunt Ieſum iam redempti? Tres ſenes, vt narrat Pratum ſpirit. ad Stephanum abbatem accedentes de animæ ſalute loquebantur. Illo tacente, dixerunt; cur nihil reſpondes cùm vtilitatis gratiâ venerimus ad te? qui dixit: Ignoſcite mihi, vſque modò non animaduerti quid locuti eſtis, verumtamen quod habeo hoc dico vobis; ego diu noctuque nihil aliud aſpicio, niſi Dominum

*Hom. 1. de Paſcha.* Si ſalus corpori à figura, quid de veritate.

*c. 64.* Stephani abbatis continua meditatio.

minum

minum noſtrum Iesvm Chriſtum in cruce pendentem. Quod cùm audiſſent, multùm ædificati receſſerunt.

*Ad cap. 9. Ezech.*
XI.
Memoria Paſsionis quàm vtilis.

Hugo Card. monet nos ſigno Tau in fronte ſignari, id eſt, paſſionis Chriſti iugiter memores eſſe, oſtendens eam ad multa vtilem eſſe. Memoria enim paſſionis Chriſti; I. A tentatione peccati liberat. Vnde præcipitur angelo exterminatori, vt vbicumque viderit ſanguinem agni ſignatum in ſuperliminari, & in vtroque poſte, id eſt, in intellectu & affectu, illam domum pertranſeat. mandatur etiam angelis ne noceant terræ & mari, neque arboribus, quouſque ſignentur ſerui Dei in frontibus. II. A vulnere peccati ſanat. vnde quotquot aſpiciebant ſerpentem æneum fixum in palo, ſanabantur à morſu ſerpentum, vt ante dictum eſt. III. Ab æterna morte liberat. Raab meretrix & cognatio eius per filum coccineum liberata fuit. IV. Proſperitatem mundanam deſpicere facit: in cuius figura tempore paſsionis ſol obſcuratus eſt. V. Timorem incutit: *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Mortuos in peccatis reſuſcitat. *Multa corpora ſanctorum qui dormierant, ſurrexerunt.* VII. Dura corda conterit ad pœnitentiam. *Petræ ſciſſæ ſunt.*

A tentatione liberat. *Exodi 12: 23*
*Apoc. c. 7: 3.*
Vulnus peccati ſanat. *Num. 21: 9.*
A morte liberat. *Ioſue 2: 18.*
Parit deſpectum mundi.
Item timorem. *Luca 23: 31.*
Mortuos ſuſcitat. *Matth. 27: 52.*
Corda conterit. *Ibid. v. 51.*

Hic eſt enim hircus emiſſarius, cuius ſanguis tepidus frangit adamantem, quia paſsionis memoria cor durum emollit ad compunctionem. VIII. Denique, amara in pœnitentia dulcificat. Lignum poſitum in aquis Marath dulcorauit eas. Sicut enim nubes aquas marinas in dulcorem conuertit; ſic memoria paſsionis Chriſti quam in corpore ſuo ſuſtinuit, omnes paſſiones & amaritudines, quas fideles pro eo ſuſtinent, in dulcedinem vertit. Hactenus Hugo.

Amara dulcificat. *Exodi 15: 25.*

Hoc ſcilicet, & acediæ & aliorum vitiorum remedium agnouerunt, quotquot Chriſti paſsionem iugiter meditati ſunt. Ludolph. narrat de quodam religioſo, qui circa conuerſionis ſuæ initia quadam immoderatâ triſtitiâ lethaliter afficiebatur, ita vt nec legendi, nec orandi, nec aliud faciendi modum inueniret. Ille dum die quadâ in cellula reſidens grauiter hac paſſione affligeretur, facta eſt ad eum vox dicens: Quid hîc ſedes otioſus, & in teipſo tabeſcens? Surge nunc & meam deuotè pertracta paſsionem, & in amaritudine tuum deuinces dolorem. Quo audito; ſtatim ſurrexit & obediuit: atque hac medicinâ ſanatus per eius continuam replicationem nequaquam

*1. p. de vita Chriſti. c. 51.*
XII.
Quidam per eam à graui afflictione liberatus.

*In eius vita cap.20.* Thomas Morus moriturus crucifixi memor.

quam de cætero tali paſsione oppreſſus fuit. Thomas Staplet. de Thoma Moro narrat, quòd cùm ad ſupplicij locũ pergeret, & ad calicem Domini bibendum properaret; tranſeunti mulier vinum obtulit. quod recuſans, Chriſtus, ait, in paſſione, non vino, ſed felle potatus eſt: ita pium & iam hinc emigraturum ſpiritum, paſſionis Dominicæ meditatio perculit.

Lydvvina ſedulè paſſionem meditatur.

*I. Bruchmannus 2. p. vita c.7.*

Lydwinæ virgini admirandę nil maiori erat ſolatio, quàm in Chriſti vulneribus, vt in foraminibus inſtar columbæ nidificantis, iugiter commorari. Chriſti vulnera & dolores acutiſsimi animam virginis adeò penetrarant, vt quamuis ipſa in ſingulis membris ſuis omnis generis cruciatus vehementiſsimos pateretur, ita vt omnes qui eam cernerent, non poſſent non multa commiſeratione affici, eos tamen cruciatus quaſi pro nihilo putaret. Tota vita eius in Chriſti rebus geſtis tanquam in viridario amœniſsimo verſabatur: iis meditandis trahebat ardentiſsima ab imo pectore ſuſpiria, & ab oculis lacrymarum fundebat imbres, iiſque deficientibus guttas ſanguineas: & hoc Chriſti amore fuſas, apud familiares appellabat roſas ſuas. Nos quoque ne tepidi ſimus, eum continuò nobis proponamus, qui ipſemet ſoluit, cùm nobis moriendum eſſet; ipſe luit, nos peccauimus. ideoque idem otioſis, quod olim diſcipulis dicit: *Non potuiſtis vnâ horâ vigilare mecum?* cum Domino vigilare, eſt eius exemplo à ſomno acediæ ſibi cauere.

*Matth. 26: 40.*

XIII. Acediam pellit conſortium feruidè laborantium.

VI. Ad hoc conducit, ſemper fugere ignauos otioque deditos, ſed quærere ſocietatem bonorum, eorumque qui feruidè virtuti inſiſtunt. Hur & Aaron Moyſis graues manus ſuſtentabant. Signantur duo genera hominum, quorum ſocietas amanda. Per Hur, id eſt, lumen, ſignantur qui doctrinâ illuminant. Aaron, id eſt, mons fortis, ſignificantur qui aliis auxilium præbent. qui manus habent graues ex acedia, debent illis ſe iungere, qui exemplo ſuo & doctrinâ eos illuminent, & orationibus iuuent.

XIV. Contra acediam pericula conſideranda.

Tria nos meritò à ſomno excitant.

VII. Conſideranda ſunt multa pericula quæ nos circumſtãt. Tria genera periculorum nos excitare debent à ſomno, ſc. periculum aquæ, ignis, & latronum. Atqui non eſt dies in qua fluctus malarum cogitationum ſuper caput noſtrum non aſcendant: quo ignis prauorum deſideriorum in domo conſcientiæ noſtræ non ſuccendatur, quo latrones non adſint. Etiam illi qui nobis ſeruire deberent, nos depræ-

deprędátur, dicente quodã: *Oculus meus deprædatus eſt animam.* Thren. 3:51.

Contra hæc omnia requirendum à Deo fortitudinis donum, quo Spiritus Sanctus nobis aſſiſtit, vt animosè aggrediamur omne periculum, omnemque aduerſitatem mundi toleremus, quò tandem ad finem perueniamus. Deſcribitur fortitudo & pingitur vti virgo armata & ferro, & genio ſuo, robuſta non tam corpore quàm animo, manu altera ſceptrum gerens, & in ſceptro manum; quod non tantùm agentis eſt, & præclara inchoantis, ſed ad exitum perurgentis: altera manu complexa crucem, non minùs in patiendo, quàm agendo indolem probat: denique in arduo poſita, excelſos animos; marmori innixa, conſtantes in peragendo depoſcit. Per acediam deſidiâ tabeſcimus, per fortitudinem in viriles actus conſurgimus; hæcq; excellens in arduis, acediam pellit quæ torpet in imis.

Donum fortitudinis

Imago fortitudinis.

Et vt omnes Chriſtiani feruidè & perſeueranter laborent, inſtitutum eſt magnum Sacramentum Confirmationis, ſic dictum à tempore Apoſtolorum, idque è firmitate, viribus & velut armis, quibus Chriſtianum ſeu militem ad bellum ſpirituale pro fide inſtruit, & ad perſecutiones pro ea fortiter tolerandas excitat. Confirmationē Belgæ Vormſel appellant, quod robur addat aduerſus errores quoſcumque, vel quòd baptiſatum corroboret in iis adimplendis quæ in baptiſmo promiſit. Eius ritum breuiſsimè complectitur Tertullianus l. de reſurrectione carnis: Caro vngitur, vt anima conſecretur: caro ſignatur, vt anima muniatur: caro manûs impoſitione adumbratur, vt anima ſpiritu illuminetur. Prudentius deſcribens pugnam luxuriæ & ſobrietatis ita canit:

Confirmationis Sacramentum, vnde dictũ.

*Poſt inſcripta oleo frontis ſignacula per quæ:*
*Vnguentum regale datum eſt, & Chriſma perenne.*

Iesvs ad cælos aſcenſurus, ſuis iuſſerat: *Sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* & iterum: *Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes &c.* ecce promiſſionem gratiæ amplioris hominibus iam baptiſatis & iuſtis factam, quâ fortiores in confeſſione fidei redderentur. Et promiſſionis impletæ Paulus meminit, dicens: *Qui confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui vnxit nos Deus: qui & ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* ita enim exponunt Theodoret. Anſelmus, alij. Væ nobis ſi

Luca 24:49. Actor. 1:8. 2. Cor. 1:21.

bis ſi inter tot fortitudinis obtinendæ media, negligentes & tepidi inueniamur.

XV. Acedia Dei timore vincitur. *Prou. 28:14.*

VIII. Timor Dei acediam pellit. Non ſine cauſa *beatus* pronuntiatur *homo qui ſemper eſt pauidus*. Cauſas aſſignat & ſimul timoris vires proponit Hugo Card. ad eum locum. I. Quia quantò plus timetur pœna, tantò ſollicitius cauetur culpa, & quantò minùs timetur, tantò diſtrictior portabitur ira iudicij. II. Quia per timorem firmiter ſtat homo, vbi acedioſus corruit. vnde dicitur: *Si non in timore Domini tenueris te inſtanter, citò ſubuertetur domus tua.* III. Timor lætificat animam, quam acedia contriſtat. *Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierũ.* IV. Timor eſt theſaurus Domini. vnde Pſaltes: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te.* V. Timor eſt fidelis ianitor animæ, comminans mortem æternam latronibus intrare volentibus, latrans vt canis contra eos: adeò ſollicitus, vt etiam amicis oblatret, id eſt, bonis operibus. vnde Iob: *Verebar omnia opera mea, ſciens quia non parceres delinquenti.* & vt dicit S. Gregor. ſæpè ſordet in conſpectu æterni Iudicis, quod in intentione fulget operantis. VI. Timor abundantiam, ſiue plenitudinem bonorum operum tribuit. *Timor Domini ad vitam: & in plenitudine commorabitur.*

(Culpa cauetur, cum timetur. — Timor confirmat. — *Eccli. 27: 4.* — Animam lætificat. — *Eccli. 1:12.* — Eſt theſaurus Dei. — *Pſ. 30: 20.* — Ianitor animæ. — *Iob 9:28.* — Bona opera auget. — *Prou. 19:23.*)

In multis hominibus modicus Dei timor eſt, ideoque multi negligentes & tepidi inueniuntur. Et tamen non parum tepido timendũ eſt, qui ſæpè in peccata priſtina, aut maiora cadit, nũquã ſpiritu creſcit, adeoq; decreſcit: cum ſegnities quotidie magis abſorbet, & inquietune affligit. quã enim tranquillitatẽ haberet, qui nulli creditori ſatisfacit, & nec Deo, nec proximis, nec ſibiipſi ex multis quæ debet, vel vnum ſoluit? Conſidera, ô miſer, quanta beneficia receperis, quantis debitis aſtringaris, pro quorum minimo nunquam poteris reſpondere. Omnia in te collata beneficia, debita tua ſunt, imò beneficia aliena, tua ſunt debita in eum finem data, vt ex iis fructus colligas. Quidquid eſt in cælo, terra, ſubtus terram, debitum tuum eſt; quia nihil cogitare poteris quod non te erudiat, aut moneat, & vel ad fugam mali, vel proſecutionem boni inſtiget. Quàm ſtultus, qui inter hæc omnia ſecurus in ſordibus iacet, & complicatis manibus appropinquantem non horret æternitatem?

(Tepidus meritò timet. — Quædam acedioſo neceſſariò conſideranda.)

XVI. IX. Acediam pellet, mortis, iudicij,

Pro cælo nobis faciẽdum quod vouet nauta inter fluctus maris.

iudicij, æternæque pœnæ cõſideratio. Æneas Syluius, poſtea Pius 2. Pp. rogatus erat à quodam Ioanne ſcriptore apoſtolico, vt præſcriberet illi modum benè viuendi. Reſpondit hoc modo. Neſcio ſi vnquam in mari fuiſti: ſi fuiſti, ſcio te, cùm procellis inflari pelagus & nauigium impeti contrarijs ventis cernebas, multa Deo vouiſſe: iam ſeruato quod tunc promiſiſti, ſi rectè viuere, ſi ſaluus eſſe velis. Si carcerem aliquando tuliſti, cura vt egreſſus talis ſis, qualem te futurum ſpondebas ſi exires carcere. Si hoc neque illud expertus es, ſupereſt tertium. Non dubito quin aliquando ægrotus fueris: etenim multæ peſtes humano imminẽt corpori, minima res vel morbis afficit, vel tollit è vita. Memento, mi Ioannes, cùm in lectulo reſupinus iaceres, cùm renes arderent, cùm ilia rumperentur, cùm fauces areſcerent, quid tecum ipſe diceres? quid promitteres ſi ſaluus fieres? de modo viuendi cogitaſti, vitia dimittere, virtutes amplecti ſpopondiſti. Nunc igitur, quia diuino munere ſoſpes es, ſtude vt ſanus impleas, quod promiſiſti ægrotus.

Quod proponit incarceratus.

Item quod promittit ægrotus.

Optima monitio, & cuique neceſſaria; eique conſonat, quod iubeamur à Domino cum ſeruis dominum expectantibus ſedulò vigilare. quid eſt vigilare, niſi omnem torporem à ſe excutere, & pro felici fine ſtrenuè laborare? Verùm, è nuptijs dominum reuertentem multi diuerſimodè ſuſcipiunt; quidam vt patrem, quidam vt iudicem. Vti in vna domo, vnus dominum expectare poteſt vt patrem è nuptijs lætè reuerſum, bellaria ferentem, conſolantem: alius horrere vt iudicem ferentem mortis ſententiam, eò quòd iudicis liberos occiderit, vxorem ſurripuerit, diuitias igne cremauerit. Ita iuſti in morte, finito iam labore, IESVM ſe ad gloriam inuitantem, diuque expectatum læti ſuſcipiunt. Quid peccator? malo exemplo ſuo proximos, ſuperni ſcilicet iudicis filios, occidit; animam ſuam iudicis ſponſam ei ſubtraxit, & dæmoni tradidit: omnes diuitias ei conceſſas, dona in baptiſmo alijſque Sacramentis collata, igne malitiæ concremauit. adeoque meritò mortẽ timet, & totis viribus differt. Adultera ſi quem domi abſconditum habet, dum maritus pulſat, non citò aperit, ſed tardat donec adulterum abſconderit. At nullus ſupereſt latendi locus, mors aditum inueniet, & in operibus manuum tuarum, ô peccator, comprehenderis.

Lucæ. 12: 36.

Christus à bonis vt pater, à malis vt iudex expectatur.

Z 2 O quot

Acedioſi vita ſua oſtēdunt, quòd mortem non cogitent.

O quot inueniuntur acedioſi, quorum vita talis eſt, vt ſatis pateat, quòd dominum non expectent! Si petas ab homine in lecto iacente, num illic honorabilem aliquem virum expectet; dicet quòd non: & ſi taceret, præſens negligentia eius id ſatis oſtenderet. Ita multi taliter viuunt, vt ſatis oſtendant, ſe non credere aut cælum eſſe, aut iudicem in morte venturū. Niſi velimus decipi, vigilemus. quales in morte inueniemur, tales æternùm erimus. Beati erūt, quos Dominus inuenerit vigilantes. Non prodeſt famulo tota nocte vigilaſſe, ſi tunc dormiat, cùm Dominus pulſat. Si priùs dormiſſet, & tamen eo veniente vigilaret, parceretur ei. Saul ante vigilauit, ſed veniente Domino obdormiens, periit. Iudas quandoque cum Chriſto vigilauit, ſed in fine dormiuit. Bonus latro ante dormire ſolitus, veniente Domino vigilauit, & paradiſum obtinuit.

Tunc vigilandum cùm Dominus venit, ne ante fruſtra vigilemus.

Hæc meditari, vera ſapientia eſt, & certum acediæ aliorumque vitiorum remedium, dicente IESV Syrach: *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Vtile quidem erit & aliorum nouiſſima recordari, ſed magis ſua. Nam & mouere aliquem poteſt, ſi videat funus alicuius Principis, cui ampliſſima regna parebant, cuius gratiam omnes aucupabantur, cuius aſpectus multos modò lætos, modò triſtes efficere poterat, ac ſi magis animis quàm corporibus dominaretur, & tamen ſolus & nudus coram diuino tribunali præſentari debet. Verum eſt: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri. Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos.* flos eſt princeps, fœnū populus: flos & fœnum, etſi vnum alio pulchrius, æquè tamen facilè à ſole vruntur; ita magni & parui æquè moriuntur.

Eccli. 7: 40.

Etiam aliorum nouiſſima à peccato cohibēt.

Iſaiæ 4:6.

XVII.

Iudicij memoria efficax.

Nec minùs efficaciter acedioſo torporem excutiet, cogitare mortem proximè conſequens iudicium particulare, aut etiam futurum vniuerſale. Cùm de malo diceret Pſaltes; *inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.* ſtatim cauſam addidit; *auferuntur iudicia tua à facie eius.* q. d. cùm iudicij memoria è corde tollitur, omnibus flagitijs immergitur. De particulari iudicio dicitur: *In fine hominis denudatio operum illius.* Anima ſi nihil purgandum habeat, ſtatim aſſequitur beatitudinem: ſi in mortali diſcedat, momento truditur in gehennam. Quoad formam iudicij, non eſt veroſimile quòd Chriſtus iudex ad ſingulos

Pſ. 10: 5.

Eccli. 11: 29.

Particulare iudicium, quale.

los morientes veniat: ſed docet communiter, animam in inſtanti mortis intellectualiter eleuari, ad intelligendam ſententiam Iudicis, idque de omnibus clariſſimè diſtinctiſſimeque; ita vt qualis tandem ſit, ipſa fateri cogatur; *Iuſtus es Domine, & rectū iudiciū tuū*. Hęc cū in inſtanti fiant; diſcite mortales, à puncto pendere æternitatem vel miſeram, vel beatam. ô formidabile momentum, ſed continuò tamen in mente verſandū! Quoad iudicium vniuerſale; cùm ſola anima ſententiam accipiat, & tamen corpus ſimul cooperatum fuerit & in bono, & in malo: vniuerſale iudicium ſequi neceſſe eſt. Et piorum corpora comburuntur, à feris laniantur, in mare proiiciuntur; impiorum verò benè paſta, quieta, magnâ ſæpè pompâ efferuntur: hinc de eo certa iuſtitia à Iudice expectanda. Denique vt virtuti debetur ſtipendium & honor, ita vitio ſupplicium & infamia: Sic egregiis quondam ducibus non ſolùm ſtipendia data, ſed etiam, bello feliciter confecto, triumphi & honores publici decreti: reus autem multis præſentibus punitur, vt non ſolum pœnam ſentiat, ſed & infamiam. Hactenus autem latet nos malorum & bonorum ſententia; ita tandem bonis honor, malis infamia ſupereſt.

Pſ. 118: 137.

Iudicium vniuerſale cur neceſſe.

Cogita, ô piger & deſes, an reſpondere poteris vnum pro mille: an vultum Iudicis ſuſtinere, cuius oculi vt flammæ ignis, facies tremenda & formidabilis, cùm intuebitur impios præ timore vix ſui compotes? Tunc omnia ſimul contra hominem teſtabuntur: ſc. creaturæ omnes quarum obſequio eſt abuſus: iuſti quos contempſit: pauperes quos oppreſsit: omnes quos verbis, moribus exemplo ruinæ occaſionem dedit: interior conſcientia, teſtis euidentiſsimus, & qui tacentibus reliquis, ipſum condemnaret: propria eius opera, quæ vt bonos ſequuntur, ita malos perſequuntur: dæmones præ lætitia geſtientes quòd eum vicerint: denique angeli, quorum doctrinam, & conſilia paruipendit. Tempeſtiuè & ſedulò perpendamus bona omiſſa, & mala commiſſa, vt Iudicem præuenire poſſimus, qui quò tardiùs venit, eò ſeuerius punit.

Qui contra hominem teſtes futuri.

XVIII. Æquè validum acedioſo remedium erit, proponere ſibi horribile illud gehennæ incendium, fletum æternum, & ſtridorem dentium. *Virgam vigilantem ego video*. ait Ieremias, virga euigilare faciens à ſomno pigritiæ, eſt pœna illa æterna, pigris & Deum non timentibus præparata.

Gehennæ cogitatio acediæ remedium.

Cap. 1: 11.

*l.3. de vita contempl. c. 12.*

In inferno malorum omnium caterua.

parata. S. Proſper de damnatis loquens ſic ait: *Quorum continuus gemitus, cruciatus æternus, dolor ſummus, pœnalis ſenſus, torquent animas nec extorquent, puniunt corpora damnata, nec finiunt. Quos ideo ſibi deputatos ignis inextinguibilis non extinguit, vt permanente ſentiendi vita, pœna permaneat, & ad dolendum magis quàm ad viuendum æternis corporibus compeditos habeat quos in flammis viuacibus immortalitas ſecundæ mortis occidat.* Cogita acedioſe & ignaue, quale malum ſit ab illo gaudio diuinæ contemplationis excludi, beatiſſima ſanctorum ſocietate priuari, fieri patriæ cæleſtis extorrem, mori vitæ beatæ, morti viuere ſempiternæ, in æternum ignem cum diabolo & angelis eius expelli, vbi ſit mors ſecunda damnatis exiliũ, vita ſupplicium, non ſentire in illo igne quod illuminat, ſentire quod cruciat, exundantis incendij terribiles crepitus pati, barathri fumantis amara caligine oculos obcæcari, profundo gehennæ fluctuantis immergi, edaciſſimis in æternum dilaniari vermibus, nec finiri. *Hæc & multa ſimilia cogitare,* ait Proſper ibid. *nihil eſt aliud quàm vitijs omnibus repudium dare; & omnia blandimenta carnalia refrenare.* Huic conſonat quod Vitæ PP. referunt, de ſancto illo ſene Achille qui à quodam fratre interrogatus, cur ſedens in cella pateretur acediam, ſtatim reſpondit; id in cauſa eſſe, quod æterna ſupplicia præmiaquè nondum rectè perpendiſſet.

XIX. Merces laboris acediæ remedium.

X. Denique merces æterna propoſita & denarius laborantibus paratus, efficax eſt acediæ antidotum. quis nos labor terreat, vbi tanta merces conſequitur. Legi quandoque de tribus amicis, iiſque nobilibus, qui iugum aulicum excutientes, vno ſe cœnobio abdiderunt. Duo minores cùm paulatim tepeſcerent, auſteritates nimium ſentirent; id inuicẽ faſſi, & ſolamen quærentes, natu maiorem acceſſerunt, eumque hilarem inuenerunt. Is re intellecta, reſpondit: Otium, & quod indè naſcitur tædium vos perdit: ego autem ſemper occupor & laboro. tria verba quotidie lego, vnde omnis labor mihi facilis redditur; Peccatum ſc. Paſsio, & Præmium. Peccatum quidem atro colore ſcriptum, in quo expẽdo, qualis fuerim cùm mundo ſeruiui: quæ, quanta commiſerim. mundus me ludificauit, orcus expectauit; periiſſem, niſi huc pedem retuliſſem, Deique ſeruitio me conſecraſſem. Hæc cogitando, & preces iungendo bonam antemeridiani temporis partem habeo, Paſ-

Cælum quærenti labor neceſſarius.

ſio,

ſio, minio exarata. Illic pendo, quid dulciſsimus Saluator & quàm indigna pro hominibus ab hominibus tulerit. Singula myſteria meditor, vſque ad tertiam. Denique præmium cæli, auro obductū. de eo quantò plura conſidero, tantò plura conſideranda inuenio: ita diem conſumo. Profuit aliis duobus id audiuiſſe, imò iam didiciſſe vnde & ipſi in poſterum proficerent.

Magna felicitas quam tamen labor neceſſariò præcedit.

O ſi mortales ſcirent, quæ & quanta fideliter laborantibus ſint parata! ô ſi vel parum guſtare poſſent de iis quæ præparauit Deus diligentibus ſe! ſi horum in quocumque opere ſuo memores eſſent, certiſsimum ſanè medium inueniſſent quo labores ſuos ſolarentur. Suſtineamus modicum laboris, pòſt in tanta gloria futuri. Mardochæus ſub Amano priùs gemuit, pro veſte ſaccum habuit, pro lectulo pauimentum: poſtea regalibus indutus fuit. Dauid contra Goliath pugnaturus, ſimplicem veſtem & peram habuit, poſt pugnam regias Ionathæ veſtes obtinuit. Nobis quoque modicum pugnandum laborandum eſt: obtentâ victoriâ, æternùm immortales quieſcemus.

Omnem acediam excutiamus & torporem, vt mentes noſtræ in ſpem promerendæ beatitudinis fortiter aſſurgant, relictiſque caducis, cæleſtia concupiſcant. *Dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre ſolem,* Eccl. 11:7. ait Salomon. ad quæ verba Hugo Card. *Hoc dixit Salomon, ne labor matutinæ ſeminationis, & inſtantia veſpertinæ orationis aliquem deterreret amaritudine ſua, quaſi dicat, non te terreat amaritudo laboris, quia magna eſt dulcedo retributionis.* Itaque dulce eſt lumen futuræ claritatis, & delectabile oculis corporis & mentis, videre ſolem iuſtitiæ, non iam in via, ſed in patria, non iam fide, ſed ſpecie. quæ viſio eſt gloria & beatitudo intellectus: nam *hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te ſolum verū Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Ibi labore finito, requies erit ſempiterna: ibi terſo fletu & gemitu, habebimus amorē perfectū, timorem nullum, & gaudium ſempiternum: ibi erit voluntas recta, cupiditas nulla, regio perpetuæ ſecuritatis & pacis, vbi perfectè beati, nec timoris ſtimulos paſſuri ſumus, nec doloris.

Pro modico labore Deum videbimus.

FINIS.

# INDEX
## LOCORVM S. SCRIPTVRÆ
# QVÆ ELVCIDANTVR.

Numerus, folium: a columnam primam; b, ſecundam denotat.


GENESIS.

Cap. 3: 15. *Tu inſidiaberis calcaneo eius.* 166, b.
5: 29. *Iſte conſolabitur nos ab operibus & laboribus manuum noſtrarum &c.* 63, b.
49: 14. *Iſachar aſinus fortis, accubans inter terminos.* 14, a. 64, a.

DEVTERON.

Cap. 15: 4. *Mendicus non erit inter vos.* 126, a.

LIBRI REGVM.

Cap. 2. *Reg.* 1: 24. *Adduxit eum in vitulis tribus, & tribus modijs farinæ, & amphora vini.* 93, a.
Cap. 1. *reg.* 2: 30. *Qui contemnunt me, erunt ignobiles.* 50. b.
Cap. 3. Reg. 21. Hiſtoria Naboth expoſita. 137, a, b.

IOB.

Cap. 37: 7. *Cùm me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* 151, a.

PSALMI.

Pſal. 11: 9. *In circuitu impij ambulant.* 138, b.
Pſ. 118: 10. *In toto corde meo exquiſiui te, ne repellas me à mandatis tuis.* 144, b.
Pſ. 136: 2. *In ſalicibus, in medio eius.* 46, a.

PROVERBIA.

Cap. 10: 26. *Sicut acetum dentibus & fumus oculis, ſic piger his qui miſerunt eum.* 79, a.
12: 11. *Qui ſectatur otium ſtultiſſimus eſt.* 129, a.
v. 24. *Manus fortium dominabitur,*


*quæ*

*quæ autem remiſſa eſt tributis ſeruiet,* 74, a.

18: 9. *Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis.* 142, b.

24: 10. *Si deſperaueris laſſus in die anguſtiæ, minuetur fortitudo tua.* 74, b.

28: 14. *Beatus homo qui ſemper eſt pauidus.* 186, a.

31: 13. *Quæſiuit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum.* 61, b.

v. 19. *Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fuſum.* ibid.

## ECCLESIASTES.

Cap. 4: 5. *Stultus complicat manus ſuas, & comedit carnes ſuas.* 127, b.

7: 19. *Qui timet Deum, nihil negligit.* 75, a.

9: 10. *Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare.* 75, a.

10: 10. *Si retuſum fuerit ferrum &c.* 131, b.

v. 18. *In pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perſtillabit domus.* 145, b. *infrà.*

11: 7. *Dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre ſolem.* 191, b.

## CANTICA.

Cap. 3: 14. *Manus illius plenæ hyacinthis.* 102. *infrà.*

5: 6. *Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat, atque tranſierat.* 119, a.

8: 6. *Vt ſignaculum ſuper brachium* 102, *infrà.*

## SAPIENTIA.

Cap. 3: 15. *Bonorum laborum glorioſus eſt fructus.* 23, a.

## ECCLESIASTICVS.

Cap. 1: 31. *Occupationem peſſimam dedit Deus filiis hominum, vt occuparentur in ea.* 16, a.

10: 29. *Noli te extollere in faciendo opere tuo, & noli cunctari in tempore anguſtiæ.* 46, b, *planè infrà.*

v. 30. *Melior eſt qui operatur, & abundat in omnibus, quàm qui gloriatur & eget pane.* 47, b.

22: 1. *In lapide luteo lapidatus eſt piger, & omnes loquentur ſuper aſpernationem illius.* 136, a.

v. 2. *De ſtercore boum lapidatus eſt piger.* 136, b.

v. 7. *Qui docet fatuum, quaſi qui conglutinat teſtam.* 160, b.

31: 27. *In omnibus operibus tuis eſto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi,* 73, a.

32: 25. *In via ruinæ non eas, & non offendes in lapides: nec credas te viæ laborioſæ, ne ponas animæ tuæ ſcandalum.* 90, a.

ISAIAS.

CAP. 6: 6. *In manu eius calculus quem forcipe tulerat de altari.* 31, b.

40: 31. *Current & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* 76, b. 108, a.

IEREMIAS.

CAP. 17: *Perdix fouit quæ non peperit.* 46, a.

46: 20. *Vitula elegans atque formoſa Ægyptus: ſtimulator ab aquilone veniet tibi.* 19, b.

MICHÆAS.

CAP. 6: 15. *Tu calcabis oliuam & non vngeris oleo, muſtum, & non bibes vinum.* 96, a.

AGGÆVS.

CAP. 1: 6. *Seminaſtis multum & intuliſtis parum &c.* 96, b.

EX NOVO

TESTAMENTO.

MATTHÆVS.

CAP. 20: 6. *Qvid hic ſtatis tota die otioſi?* 130, a.

IOANNES.

CAP. 6: 27. *Operamini non cibum qui perit.* 42, b.

Ep. 2. ad Theſſal.

CAP. 3: 10. *Si quis non vult operari, non manducet.* 3, a.

AD HEBRÆOS.

CAP. 10: 25. *Non deſerentes collectionem noſtram, ſed conſolantes.* 31, a.

APOCALYPSIS.

CAP. 2: 4. *Charitatem tuam primam reliquiſti.* 143, b.

3: 15. *Vtinam frigidus eſſes aut calidus: ſed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.* 144, a.

# INDEX RERVM MEMORABILIVM.

## Numerus folium, a, columnam primam; b, ſecundam notat.

## A.

ACcedioſorum labor. 12, *b.* acediæ imago. 110, *a.* eius definitio, vnde dicta, 110, *b.* vt de bono ſpirituali triſtetur. 111, *a.* vt per eam peccetur. 112, *a.* ſex eius filiæ. ibid. *b.* varia eius ſigna. 113, *b.* ex ea alia peccata pullulant. 114, *a.* eſt febris frigida. 114, *b.* guſtum animæ tollit. 115 *b.* acedia ſenectuti ſimilis, item paralyſi, ibid. & ſeq. eam natura horret. 116, *b.* in omni ſtatu dominatur. laici per eam cæci & ſurdi. 118. *a.* in eccleſiaſticis deteſtanda. ibid. *b.* monaſteria penetrat, eſt dæmonium meridianum, 120. *a.* infrà ſeq. quid ad eam repellendam conducat 120, *b.* acedioſi in diuino officio grauiter notati. 121, *a.* acedioſorum mores deſcripti 121, *b.* vide Religioſi. decipit ſub ſpecie virtutis. 123, *b.* infrà ſeq. acedioſus eſt incurius & diſſolutus. 160. leui de cauſa bonum intermittit. 165, *a.* etiam aliorum virtutem impedit. 167, *a.* infrà ſeq. acediæ remedia. vide toto cap. 11. tract. 2. acedioſo neceſſariò conſideranda. 187, *b.* acedioſi vita ſua oſtendunt quòd mortem non cogitent. 188, *a.*

Ægrotus, alieno labore frui poteſt, 39, *a.*

Agis prudentia. 12, *b.*

Agilitatis dos operariis competit. quid illa ſit. 107, *b.*

Agricultura apud Romanos præcipua. 48, *a.* eſt à Deo inſtituta, à natura intenta. 62, *b,* abſque ea omnia deficiunt. 63, *a.* primi parentes agricolæ ibid. *b.* culturę inſtrumenta auferre, morte punitum. 64, *b.* agricultura à multis adamata. ibid. agricolis libertas conceſſa. 65, *a.*

Alphonſi regis pietas & gratitudo. 149, *a.*

S. Ambroſij animoſum reſponſum. 25, *b.*

Amor Dei ſemper agens. 4, *a.*

Angelorum opera, 4, *b*. illis placent laborantes. 21, *b*. vnus numerat paſſus ferentis aquam. 68, *a*. ad Dei iuſſa feſtinant. 76, *a*. vt fuerint in gratia confirmati. 100, *b*.
Animas curandi modus cum medicina corporum collatus. 25, *b*, ſeq.
S. Antonij vitam legentes, conuerſi. 178, *a*.
Apis laboris ſymbolum. 2, *a*. varia apicularum munia. 6, *b*. 7. *a*.
Apollonius diſcordes ad concordiam trahit. 167, *b*.
Apoſtoli laborantium duces. 26, *b*. apoſtolicorum principum labores, dignitas, celſitudo. 27, *a*. apoſtolici viri manibus laborarunt. 28, *a*. laborem docuerunt. 36, *a*.
Archebij mira diligentia. 41, *a*. infrà. matris debita ſoluit. 41, *b*.
Ariani cur inualuerint ab initio. 119, *a*.
Arnulfus à detractoribus miraculo defenſus. 158, *b*, ſeq.
Arſenij rara vigilantia. 153, *a*.
Artes variæ in monaſterio exercitæ. 42, *a*. artes mechanicas præcipuas vide. tract. 1. c. 7.
Aſinus oneratus laboris ſymbolum. 2, *a*.
Athletarum quorumdam vires 22, 2.
Attilij Serani labor. 48, *b*.
Auarorum labor. 11, *a*.
S. Auguſtini labor & ſedulitas. 25, *a*. eius doctrina de opere manuali monachorum. 38, *a*, *b*, ſeq. eius conuerſio. 177, *b*.
Aulæ deſpectus, deſcriptio. 51, *b*.

# B.

S. Baſilij genus nobile. 45. *b*.
Beatorum quies, qualis, 107. *a*.
Belgium ſtrenuos habuit operarios. 30, *a*, *b*.
S. Benedicti regula malè interpretata. 36, *a*.
S. Bernardus vt S. Scripturã tractauerit. 176, *b*.
S. Bonifacij Mogunt. labor. 29. *a*. qualem Conuentum inſtituerit. 43, *a*.
Bonum ſpirituale triplici modo conſideratum. 111, *a*. vt directè vel indirectè impugnetur. 113. *a*.
Bouis caput, laboris ſymbolum. 2, *a*.

# C.

Calculus apud Iſaiam, qualis fuerit. 31, *b*.
Campinienſium ſolertia & labor. 65, *a*.
Cancellos claudi cur voluerit S. Tereſa. 175, *b*.
Caro domanda exercitio. 19, *a*. 174, *b*.

174, *b.* carnis malitia, Iaheli comparatur. 115, *a*, vt pigritiam ſuam excuſet. 137, *b.*
Carthagienſium lacrymæ importunæ. 78, *a.*
M. Catonis labor. 48, *b.*
Charitas hoc æuo refriguit. 77, *b*, planè infrà & ſeq. charitatis diminutio ſit dupliciter. 143, *b.* vide *Feruor.*
Cherubin in propitiatorio, quid ſignent. 75, *a.*
S. Chryſanthus euangelij lectione conuerſus. 177, *a.*
Cibi condimentum, exercitium. 19. *a.*
Q. Cincinnatus ab agro ad conſultum vocatus. 48, *a.*
Clerus à fidelibus honorandus. 69, *b.* Clerici detractor punitus. 70, *a.* eius vitia propalans, Deum inhonorat. ibid.
Clibani inuentio. 61, *a.* Cœlum, vide *Gloria.*
Concordiam inter pugnaturos impediens, punitus. 167, *b.*
Confirmationis Sacramentum vnde dictum. eius ritus. 185, *a* ſeq.
Conſcientiam ſerenat labor. 21, *a.*
Conſuetudo difficilè exuitur. 161, *b.*
Conuerſio dilata multis de cauſis difficillima. 162, *a.* è conuerſione accelerata quantum boni. 162, *b.* conuerſionē differens multis eſt iniurius. 162, *b.* 163, *a.* eius ſtultitiæ. 163, *b.* Pauli exemplum ad conuerſionem efficax. ibid. & ſeq. alia quæ ad eam moueant. 164, *b.*
Cor cum ſubiecto foculo, laboris ſymbolum. 2, *a.* cor viuo argento ſimile. 19, *b.*
Corona olim non niſi diis data. 104. *a.* coronantur iuſti, etiam in hoc mundo. 104, *b.* 105, *a.* corona gloriæ qualis, 105, *b.* quinam lapides in ea & in corona gratiæ. ibid. & ſeq. coronæ iſtius felicitas. 106, infrà ſeq.
Corpus exercendum, non perimendum. 89, *a.* eius vires cum diſcretione metiendæ. 89, *b.*
Creaturarum labor. 4, *b.* quæ illis iniuncta, ſtrenuè agunt. ibid.
SS. Criſpinus & Criſpianus ſutores. 60, *a.*
Crucifixi querela de tepidis. 79, *b.*
S. Cypriani nobilitas. 45, *b.*

## D.

DÆmon in laborante locum non habet. 19, *b.*
Dæmonium meridianum, quid. 120, *a* infrà ſeq. eius inſidiis vt ſit reſiſtendum. 120, *b.* planè infrà, ſeq. dæmon

mon malis leo, bonis canis. 138, a. fini inſidiatur. 166, b. ei per acediam tentati vt quidam reſtiterit, 173, a.
Dauidis laus. 53, b.
Decimæ cur ſoluendæ. 70, a. infrà.
Demetriadis labor. 49, b.
Deſperato ſpei incentiua propoſita. 169, a. deſperatio quá mala. 169, b, infrà ſeq.
Detractor punitus. 70, a. 158, b. detractatio fit 4. modis. 156, b. detractor in quatuor rebus offendit. detractionis imago. 157, a. detractor in ſex rebus coruo ſimilis. 157, b. 158, a. ſeq.
Dei ſapientia ſemper agens. 4, a. ſic & eius amor. ibid. Dei liberalitatem imitantur creaturæ. 21, a. conatum noſtrum iuuat. 79, a. pro laborantibus eſt ſollicitus. 103, a. pleno iure nos poſſidet, 137, b. quinam dij gentium laboris amici. 109.
Diei noctiſque viciſſitudo ad quid ordinata. 59. a.
Digitus minimo proximus, ignauiæ ſymbolum. 47, a.
Dilatio boni, periculoſa. 161, b.
Diſciplinæ laus. 174, b.
Diſcretio virtutum moderatrix 80, infra. per eam vires corporis metiendæ. 89, b, ſeq. nimis laborioſa non aſſumēda. 90, a. b. pro diſcreto obſequio conſideranda. 93, a. diſcretionis ſymbolum, ſal. quæ & quanta diſcretio operetur, 93, b. diſcretionis actus. 94, a, b.
Diuitiæ rationabiliter expendendæ. 53, a. diues an laborare teneatur. 65, b. diuitiæ labore augentur,
Dominici Loricati rigor. 65, b.
S. Dunſtani Cantuar. labor. 29, b.

## E.

Eccleſiæ primitiuæ feruor. 77, b.
Eduardus rex Angliæ vt à morte ſeruatus. 149, a.
S. Eliſabethæ labor. 62, a.
S. Epiphanij labor. 28, b.
Epiſcopi celebriores in Belgio. 30, a, b.
Euagrij dura pœnitentia. 40, a.
Eunuchus Iſaiæ lectione conuerſus. 176, a. infrà.
Euſebij conſtantia coram Conſtantio. 98, b.
Euthymius abbas labore ſuis præit. 41, a.
Exemplum ſuperiorum quid poſſit. 173, b.
Exercitij continui vires. 18, b. 19, a. exercitia ſpiritualia, eorumque vtilitas 33, a, b. continuo exercitio magis roboratur. 74, b. exercitij bona. 131, b. exercitium quale nobis

nobis aſſumendum. 174, *a.* exercitium cuiuſdam notabile, 190, *b.*

# F.

Fabri argentarij, ferrarij, lignarij. 59, *a, b.*
Familia piè inſtituenda. 71, *a.*
Febris acediæ frigida. 114, *b.* guſtum animæ tollit. 115, *b.*
Feruidus labor quantum poſſit. 73, *a, b.* ſeq. feruidus occaſiones boni obſeruat. 74, *b.* laborem non ſentit, quantum boni efficiat. 75, *b.* feruoris laus. 76, *a.* eo carens de Deo non conqueratur. 76, *b:* feruor pellit ſenſum doloris. ibi. duplex eius rei cauſa. 77, *a.* feruor eccleſię primitiuę. 77, *b.* pro virtute meritò feruor exigitur, qui in corporali labore adhibetur, 78, *b.* feruoris indiſcreti mala 91, *a, b.* feruoris indiſcreti duodecim ſtultitiæ 91, *b.* 92. *a, b.* feruidi magis ac magis accenduntur. 97, *a.* feruor multorum in teporem verſus. 122, *a.* feruor Synagogæ & Eccleſiæ. 141, *a.* feruor continuò excitandus. 143. *a.*
Feſtiuis diebus ab opere ceſſandum. 67, *a:* eas violantes puniti. ibid.
Florentij ſacerdotis diligentia. 42, *b.*
Formica, laboris ſymbolum. 2, *a.* à formicis morum documenta. 5, *a, b.* 6, *a, b.*
Fortes, & tamen otioſi ſunt in periculo ſalutis. 2, *b.* fortitudinis donum, eiuſque imago 185, *a.*
Fortunæ ſimulacrum. 125, *b.*
S. Franciſci Xauerij ardor. 31, *b.*
S. Franciſcus laborem manualem iubet, & cur. 36, *b.* corpus ſuum vocat fratrem aſinum. 37, *a.*
S. Fulgentij Ruſpenſis labor. 29, *a.* varia eius exercitia. 43, *a.*
C. Furius ſe à maleficij crimine purgat. 73, *b.*

# G.

GAleatij Vicecomitis ſtultitia. 60, *a.*
Galgani felix labor. 104, *a.*
Gehennæ cogitatio acediæ remedium, 189, *b,* illic malorum omnium cæterua. 190, *a.*
Giſalæ reginæ labor. 49, *b.*
Gloria fructus laboris. 23, *a, b.* vide *Merces.* pro cælo quid faciendum. 187, *a,* eius memoria acediæ antidotum. 190, *b.* labor eam neceſſariò præcedit. 191, *a, b.*
Gratitudinis exempla. 149, *a, b.*

S. Guilielmus in fornace illæſus. 61, a.
Guilielmi de S. Amore, error. 37, b.
Guloſorum labor. 11, b.

## H.

HErculis ſtatua laboris ſymbolum. 2, b.
Hermanni Steinueldenſis prudentiſſ. iudicium. 178, b.
Homo, quam meritò ſe labori tradat. 4, b. infrà ſeq. à beſtiis confunditur. 5, a. cur in vultus ſudore pane veſci debeat. 7, b.
Honos, onus. 10, b.
S. Huberti labor. 29, b.
Humanitas mẽtita, iniquitas vera. 52, a.
Humilitatis via labor eſt. 40, a.
Humilitas magna virtus. 53, b.

## I.

IESVS perſeuerantiæ exemplar. 98, a. 166, a. à bonis vt pater, à malis vt iudex expectatur. 187, b.
Ignauiæ ſymbolum digitus minimo proximus. 47, a. ignauia in ſponſa Cantic, notata. ibid. b. ignaui ſtultitiæ. 149, b.
Ignorantia eorum quę pertinẽt ad ſalutem, quanta mala ſecum trahat. 153, a. infra, b.
Impij magis laborant pro mundo, quàm alij pro cælo. 12, b, infrà. quæ ſpontè faciunt, pro ſatisfactione peccati non acceptarent. 13, b.
Impœnitentia dupliciter ſumpta. multa mala efficit. 168, a. vide *Pœnitentia*.
Impudicitia Neronis. 11, b. reginæ Amazonum. 12, a.
Incurij & diſſoluti, quinam. 160.
Indeuotio quid ſit. 147. vnde oriatur. 148, a.
Infernus, vide *Gehenna*.
Ingratitudo quale vitium. 148, b.
Inquietudo varia, 166, b, infrà ſeq.
Intentio bona labori iungenda. eius formandæ modus. 67, b.
Inuidorum labor. 12, a. eorum mores. ibid. b.
Ioanni anachoretæ leo iter aperit. 138, a.
Ioannes à Leidâ, ſartor. 59, b.
Iracundorum labor. 10, b. illorum ſtultitia. 11, a.
Iſſachar tribus labori dedita. vbi ſe continuerit. 64, a.
Iudicij memoria efficax. 188, b. quale ſit iudicium particulare. ibid. Vniuerſale iudicium cur neceſſe. 189, a. qui contra hominem teſtes futuri 189, b.

Iuſti

Iuſti verè nobiles ſunt. 50, *b*, infrà. 51, *a*. diſcretè curſum ſuum perficiunt. 77, *a*. ſunt palmæ ſimiles. 104, *a*. etiam in hoc mundo coronantur. 104. *b*. 105, &c. iuſtior ſibi viſus, conetur eſſe tantò ardentior. 122, *a*.

# L.

Labor quid 1. laboris ſymbola. 2, *a*, *b*. labor manualis an neceſſarius ad ſalutem. 2, *b*. ad tria vtilis eſt. ibid. eius prçceptum ſub quo contineatur 3, *a*. labor in ſtatu innocentiæ, qualis. ibid. labor homini naturalis. ibid. labor in creaturis. 4, *b*. labor communis formicarum. 5. *b*. à labore manuali qui excuſentur. 7, *a*. infrà ſeq. laboris varia diuiſio. 8, *a*, *b*. ſeq. labor vbique & vndique, 10. *a*. labor malorum, ſuperborum, iracundorum &c. 10, *a*, *b*. 11. *a*, *b*. ſeq. laborantes feliciores ſunt otioſis, etiam ſepoſita pœna aut præmio. 15, *b*. labor hominibus à Deo impoſitus. 16, *a*. fructuoſus labor eligendus. 17, *a*. quis labor talis. ibid. *b*. laboris vtilitates. 18, *b*. 19, *a*, *b*. ſeq. labor prçcedit mercedem, quam laborans ſibi proponit, 22, *a*, *b*, labor pro mundo miſer. 17, *a*. laborem quid iucundum reddat. 18, *a*. labor cibus. ibid. *b*. labor manualis probatus, ab Ordinum inſtitutoribus iuſſus. 35, *a*, *b*, labor ſpiritualis corporali iunctus. 35, *b*. labor manualis ab orantibus, ſuis horis fieri debet. 39, *a*. eſt vtilis ad profectum ſpiritualem. 39. *b*. laborantibus quid cogitandũ: labore animus colligitur. 40. *b*. è labore quæ bona. 42, *b*. infra ſeq. labor miraculis probatus. 43. *b*. labores aliorum multi comedunt. 46, *a*. labor corpori honor & ſuſtentaculum. ibid. *b*. laborandum hîc ne in futuro egeamus. 47, *b*. apud Hiſpanos laboris certamen. 49, *b*. labor, benedictio eſt. 64, *b*. eum comitatur vtilitas. 65, *a*. parit virtutem. 65, *b*. ſanitatem tuetur, diuitias auget. 73, *a*. *b*. quandoque intermittendus. 89, *a*. laboribus immortui. 99, *b*, infrà. laborandum vſq; ad mortem. 100, *b*. à labore excuſati quidam, à virtute nemo. 101, *a*. labor quandoque certo ſpatio hic definitus, laborandum pro cælo. 101, *b*. 102. labor eſt ſcala cæli. 103, *b*. labor modicus, gloria æterna. ibid. & ſeq. labor operantium vnde æſtimandus

mandus. 107, *b.* laborantium conſortium pellit acediam. 184, *b.* labor ſtrenuus, acediæ remedium. 172, *b.* hoſtis labore ſuperatur. 173, *a.*
Lacrymæ intempeſtiuæ. 78.
Laërtis labor. 73. *a.*
Laici non doleant quod ſublimia non tractent. laici præſentiâ dæmon obſeſſum deſerit. 68, *b.* laicorum opera conuerſi. 69, *a, b.* multorum acedia. 118, *a.*
S. Lamberti labor. 29, *b.*
Languor ſpiritualis vt noceat. 150, *a.*
Legenda magis quæ ædificent, quàm delectent. 178, *a.* vide *Scriptura ſacra.*
Leges Belgicæ de validis mendicantibus. 127, *a, b.*
Leodegarij labor. 29, *a.*
Librorum impiorum lectio, quàm mala. 179, *a.*
Lucifer cur cælo eiectus. 100, *a.*
Lucretiæ laus. 49, *a.*
Luna cur non primo die creata. 4, *b.*
Luxurioſum labor. 11, *b.*
Lydwina ſedulò paſſionis memor. 184, *a.*

# M.

MAcedonum reginæ veſtes texuerunt. 49, *a.*
S. Malachias monaſterium construit. 43, *b.*
Manichæorum error circa agriculturam. 62, *a.*
S. Martini Turon. labor. 28, *b.*
Martyres in tormentis fideles. 98, *a, b.*
Maſiniſſæ Numidiæ regis labor. 48, *b.*
Matthiæ Houij Archiep. Mechlin. laus. 30, *a.*
S. Mechtildi quædam reuelatio facta. 79, *b.*
Medicinæ tres ſectæ tres, ordines. 56, *a.* medici celebriores inter ſanctos. 56, *b.* medici inter ethnicos celebres. 57, *a.* documenta iis neceſſaria. ibid.
Meletij Sebaſteni vita. 28, *b.*
Mendicare num poſſit ille qui laborare poteſt. 66, *a.* mendicantes validi. an apud Iudæos fuerint expellendi. 126, *a.* mendici cuiuſdam commentum. 126, *b.* de iis leges in Belgio. 127, *a, b.*
Mercedem æternam parit labor. 21, *b,* infrà. labor neceſſariò mercedem præcedit. 22, *a.* eam laborans ſibi proponat. ibid. *b.*
Modum vocat mundus id quod ſine modo eſt. 42, *b.*
Molitores. molæ variæ. 60, *b.*
Mollities quid. 166, *a.*
Monachi vita in tribus conſiſtit. 36, *a.* monachi quidam fiunt, vt otioſè viuant. 39, *a.*

Mortis prænuntiæ formicę 6, *b.* mortui inter labores. 99, *b.* infra ſeq. vſque ad mortem laborandum. 100, *b.*
Mundus cur dictus ab æterno fuiſſe. 4. *a.* mundi conuerſio cur meliis appellata. 32, *a*, *b*.
Murmur quid. oritur è 7. peccatis capitalibus. 155, *a.* multa nos meritò ab eo cohibent. 155, *b*, ſeq.

# N.

NAboth qualiter Chriſti typus. 137, *a.*
Nathanaelis anachoretæ clauſura. 99, *b.*
Negligentia, vt ſit ſpeciale peccatum. 132. vnde proueniat, vt ab alijs differat. 133, *a.* negligentes in quæ mala incidant. à natura confuſi. 132, *b.* illorum cæcitas, negligentiæ remedia. 134, *a.*
Neroni impudicitia carò quandoque ſtetit. 11, *b.*
Nobilitas vnde dicta. 45, *a.* eius ratio in ſcripturis habita. ibid. nobiles laborare debent vt honorentur. 46, *a.* quinam laborauerint. 48, *a*, *b*. nobilitas triplex. 50, *a.* eſt & quadruplex. 50, *b.* è virtute petenda vera nobilitas. ibid. multi eam turpitudine morum obnubilant. 51, *a.* corum acedia 52, *a.* veſtes nobilium quales: modum vocant, quod eſt ſine modo: irreuerenter ſacris interſunt. 52, *b.* exercitia iis fructuoſa 53, *a*, infrà, *b.* ſeq.
Noctes cur tenebroſæ. 89, *a.*
Nouiſſima, etiam aliorum, à peccato cohibent. 188, *a.* infrà & ſeq.

# O.

OLei vſus. 61, *a.*
Omiſſio quid, quomodo peccatum. 135, *a.*
Opera indifferentia vt meritoria eſſe queant. 68, *a.* in operibus noſtris quid requiratur. 139, à infrà, *b.* opera noſtra magno animo inchoanda. 146, *b.*
Operari non cibum qui perit, vt intelligatur. 42, *b.* operari conſilio manuum quid ſit. 61, *b.*
Operarij fructuoſi quinam ſint. 17, *b*, ſeq. operarij ſtrenui in Belgio. 30. *a*, *b.* operariis in ſuo opere conſideranda. 65, *a*, *b*, ſeq. operarius pro poſſe non laborans, vt peccet. 66, *a.* infideles operarij. ibid. *b.* bonis operariis obſeruanda. 69, *b.* 70, *a*, *b*, ſeq. operario negligenti pœna iniuncta. 73, *a.* diligens à mali ſuſpicione

cione liber. ibid.

Orare debent pro laborantibus qui non laborant. 35, *a.* oratio matutina faciliùs auditur. 152, *b.* oratio feruens, acediæ remedium. 179, *a.* attentio & intentio requiſita ſit humilis, ſperans, munda. 179, *b.* deuota. 180, *a.* orationis attentæ multi fructus. 180, *b.* & ſeq. oratio ſit perſeuerans, Chriſtus nobis refugiū. 182, *a.* oratio, legatus Deo familiaris. 182, *b.*

Ordinum inſtitutores laborem manuum mandant. 35, *b.*

Otioſus, pane indignus, & eccleſiâ Dei. 3, *b.* otioſi indigenti an ſuccurrendum. ibid. otioſi quæ clara ſunt, intelligere nolunt, ne confundantur. 38, *b.* otioſi puniti, 110. *a.* verè febricitant. 115. *a.* otioſorum ſacrificium. 126, *a.* otioſus carnes ſuas comedit, vrſo ſimilis. 127, *b.* otioſorum ſtultitiæ. 129. *a.* infrà, *b.* otioſorum labor. 130, *a.* increpantur ibid. *b.* otioſi tempore gratiæ magis reprehenſibiles. 131, *a.*

Otij definitio 3, *a* infrà. Deo, angelis, creaturis contrarium 3, *b.* ex otio, morbi. 73, *b.* Otium vanè ſumptum 125. *a.* corpus extenuat. 128, *a.* vt ſit peccatum. 128, *b.* ex eo quanta mala proueniāt. 128, infrà ſeq. otium triplex. 127, *b.* otij mala, exercitii bona. 131, *b.*

## P.

PAralyſi ſimilis eſt acedia. 115, *b.* 116, *a, b.*

Paſsionis meditatio acediam fugat. 181, *b,* infrà. quęnam de ea cogitanda crucifixus ob oculos ponendus. 182, *a, b.* paſſionis memoria quàm vtilis. 138, *a.*

Paſtores, viſitent etiam ſubditos pauperes. 25, *a.* quid in paſtore requiratur. ibid. & ſeq. ſit omnibus omnia. 26, *a.* paſtoralis baculus quid ſignet. 26, *b.* paſtores eccleſiæ præcipui recenſiti. 28, *b.* ſeq. illorum laborà religioſis ſubleuatus 31, *a.* arduus eſt. 31, *b.* paſtores ad quid teneantur. 118, *b.*

Patientia laboranti proponenda. 66, *b.*

Patriarchæ antiqui vnde vixerint. 63, *b.*

S. Pauli labores. 27, *b.* quam artem exercuerit. 28, *a.* cur laborauerit manibus. 381, *b.* vult totam vrbem pro vno peccato flere. 78, *a.* eius exemplum ad conuerſionem efficax. 164, *b.*

Paulus abbas labore parta cremat. 39, *b.*

Paulæ

Paulæ Romanæ nobilitas. 45, *b*, eius labor. 49, *b*.
Paupertate preſſi laborare debent. 47, *a*. pauperes laborantes Deus elegit. 66, *a*.
Pax cum omnibus ſeruanda. 70, *b*.
Peccantium grauis labor. 10, *a*. peccatores ſignati in cœlo. 13, *b*. infrà ſeq, in aſino. 14, *a*. fortes ſunt ad malum, eorum miſeria. 14, *b*. vide Impij. malum, omni genere tormenti eos torquet. 15, *a*. peccatum labore remittitur. 20, *a*. peccatores ſunt mancipia. 51, *a*. tributum dæmoni ſoluunt. 74, *a*. verè otioſi dicendi. 130, *a*. peccator in magno periculo eſt. 162, *a*.
Pellium vſus. 60, *a*.
Perſeuerantiæ laus. 95, non perſeuerantium damna & miſeriæ. 96, *a*, *b*. perſeuerare quomodo non ſit laborioſum. 97, *a*. perſeuerantes nullam ob rem à cœpto mouentur. 97, *b*. perſeuerantia martyrum. 98, *a*, *b*. confeſſorum. 99. imperſeuerantia ridenda. 166, *b*.
S. Petri labores. 27. *a*. ſeq.
Petri de Murrhone pœnitentia. à Deo monetur. 90, *b*.
Philoſophorum virtus, qualis. 141, *b*.
Pictura vnde ſumpſerit initium 57, *b*. multiplex eſt. ibid. & ſeq. pictores magis celebres. 58, *a*, *b*. pictores inhoneſti acriter caſtigandi, 59, *a*.
Piger ad formicam miſſus. 5, *a*. cælum non obtinebit. 22, *a*. pigri, fiunt mancipia; ſtrenui, domini. 74, *a*. pigri coram Deo vt acetum dentibus, & fumus oculis. 79, *a*. Deus de iis conqueritur. ibi. *b*. piger ſtercore boum lapidatus. 136, *b*. opera pigrorum lapides ſunt quibus Chriſtum impetunt. ibid. planè infrà & ſeq. proponunt ſibi pericula quæ non ſunt. 138, *a*. oſtio aſſimilantur. 138, *b*. quis locus illis paratus. 139, *a*. pigritia quanta mala adferat. 135, *b*. 136, *a*.
Piſiſtrati diligentia in agro colendo. 64, *b*.
Piſtores. 61, *a*.
Placillæ monitum Theodoſio Imp. datum. 148, *b*.
Pœnæ illorum qui virtutem in alijs impediunt. 168, *a*.
Pœnitenti labor æternus in temporalem mutatus. 20, *a*. pœnitentia Petri de Murrhone. 90, *b*.
Potentes potenter patientur. 35, *a*.
Prælatorum officium. 24, *b*.
Profectus ſpiritualis labore fouetur. 39. *b*. ſeq.
Proximo per laborem ſubueniatur

tur. 20, *a* infrà ſeq. quàm id ſit meritorium ibid. *b*. proximo benefaciens, Deo ſimilis. 21, *a*. proximo benefacere eſt ſalubriter laborare. 130, *b*.

## Q.

QVies Beatorum, qualis. 107. *a*.

## R.

REgula S. Benedicti malè impetrata. 36, *a*.
Religioſi ſubleuant laborem paſtorum. 31, *a*. religioſi Minores vt intelligant mandatum de opere manuali. 37, *a*, *b*. vt eleemoſynam petere poſsint. 38, *a*. ſeculares illos confundunt. 41, *a*. ſeipſos, peregrinos, aliós labore alunt ſuo, 41, *b*. apibus comparantur. ibid. artes varias exercent, remotis pauperibus eleemoſynas mittunt. 42, *a*. cogitent quòd etiam in ſeculo laborandum fuiſſet. 121, *a*. acediæ religioſę mala. 122, *b*. 123. *a*. *b*,
S. Remigij labor. 29, *a*.
Remiſsionis vitium, quid. 161, *a*.
Reges honori ducunt arbores ſerere. non fruſtra manus habent. 49, *a*. Reginæ Macedonum, veſtes texuêre. 49, *a*.

## S.

SAcerdotes, cur diligendi. 70, *a*. quales eſſe debeant. 118, *b*. multi torpore viam vitiis aperiunt. habent vnde torporem excutiant. 119, *b*. ſacerdos quidam per triſtem vocem extra ſenſus. 151, *b*, infrà.
Sal diſcretionis ſymbolum. 93, *b*.
Salomon cur boues & Cherubim fecerit. 103, *a*.
Sapientia Dei ſemper agens. 4, *a*.
Sartores. 59, *b*.
Scriptio, vt fieri debeat. 55, *a*, *b*. Scriptores quidam celebres. ibid. ſeq.
Scriptura Sacra ſimplici ſtylo veritatem docet. 178, *a*. in ea quatuor regis cellaria. 175 *a*. eius laus ex I. Trithemio. 175, *b*, ſeq. ad eius lectionem minùs pronus increpatur à S. Gregorio. S. Bernardus vt eam euoluerit. 176, *b*.
Seculares, in quo confundant religioſos. 41, *a*.
Senectuti ſimilis eſt acedia. 115, *b*.
S. Seruatij labor, 29, *b*.
Serui in piſtrino. 60, *b*.

Simeonis conſtans pœnitentia, 99, *b.*
Sol, cur non primo die creatus, 4, *b.*
Somnus corporis & animæ cur vitandus. 150, *b.* ſomnolenti quibus rebus excitē.ur. 151, *b.* ſomnum abrumpere multa nos docent. 152, *a*, *b.* à ſomno tria nos meritò excitant. 284, *a.*
Sperantibus in ſe, Deus, maiora confert. 169, *a.* ſpes egregia cuiuſdam religioſi 169, *b.* & ſperando & deſperando homines periclitantur. 170, *a*. *b.*
Sponſæ Romanæ quæ laboris ſigna tulerint. 62, *a.*
Stephani Abbatis continua meditatio paſsionis. 182, *b.*
Studioſi, opificium diſcere coacti. 28, *a.* ſtudij diligentiam tria impediunt. 134, *b.*
Superborum labor. 10, *b.*
Sutoria ars, 60, *a.*

# T.

TEmpus redimendum. 78, *a.* infrà. eſt à Deo definitum. 79, *b.*
Tentationes labore pelluntur. 19, *a* infrà. 173, *a.*
Tepiditas in bono quantū mali adferat. 74. *b.* tepiditas caſtigata. 119, *a.* quid mali creet. 120, *a.* tepor cuidam vno verbo excuſſus. 121, *b.* vt homo facilè torpeſcat. 141, *a* infrà, tepidus, in virtute non poteſt proficere. 141. *b.* tepiditas noſtra magna eſt, tepidus deficit, ſua diſſipat, 142, *a*, *b.* tepidi quidam altè ſapiunt, 143, *a.* quis apud Ioannem in Apocal. tepidus cenſendus. 144, *a.* meliùs quis quandoque frigidus eſſet, quàm tepidus, qui à Deo reiicitur. 144, *b.* tepidi ſunt in periculoſo ſtatu. 145, *a.* tepidum euomi, vt intelligatur: paulatim deſeritur. 145, *b*, tepidus eſt iniuſtus nulli reddens quod ſuum eſt. 146, *a.* teporis remedia, ibid, *b.* tepidi cor, ſatanæ locus. 180, *a*, tepidus à Deo non auditur. ibid.
S. Tereſæ indefeſſus labor. 173, *b.*
Textoria ars, 61, *b*, & ſeq.
Themiſtoclis inuidia. 12. *a.*
Theodori martyris feruor. 98, *b.*
Thomas Morus circa mortem Crucifixi memor. 184, *a.*
Timens Deum ardua aggreditur. 75, *a.* Vires timoris diuini, 186. *a.*
Tormenta martyrū varia. 99, *a.*
Torpor. Vide *Tepiditas.*
Tranſgreſſio vnde dicta, quod peccatum. 135, *a.*
Tribulatus cur murmurare non debeat.

debeat.155,*b*.tribulatus,memoria Dominicæ Paſſionis liberatus.183,*b*.
Triſtitia triplex charitati repugnans. 111,*b*. triſtitia variè conſiderata.112,*a*.triſtitia in Dei ſeruitio irrationabilis. 161,*a*.

# V.

VErbum otioſum,quid. multiplici ratione vitandum.159.*a*,*b*.
Veſtes nobilium quales. 52, *b*. veſtes apud varios variæ.60, *b*.veſtes acu factæ &c.62,*a*.
Victoriani coram Hunerico conſtantia.98,*b*.
Victoris proconſ. animoſum reſponſum.98,*a*.
Vigilantes à Deo vocantur. 21, *a*. angelis placent.ibid.*b*.vigilandum nobis & laborandum. 139,*b*, tunc vigilandũ cùm Dominus venit, ne ante fruſtra vigilemus.188,*a*.
Virtus quintuplici ratione facilis.97,*a*.infrà ſeq.ab ea nemo excuſatus. 101,*a*. vnde nobis fiat difficilis.140.
Vita labore ſuſtentatur, 19,*b*. vita hæc, vigilia;vita futura, feſtiuitas. 180,*a*. vitæ tædium vnde.167,*a*.
Vita virtutibus theologicis oppoſita, grauiora.168,*b*.
Vrſus otioſi imago. 127,*b*.

# W.

S. Willebrordi labor.29,*a*,
S. Winoci labores miraculo probati.43,*b*.

*Omnia SS. Romanæ Catholicæ Eccleſiæ iudicio ſubiecta ſint.*

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EM.